

11,9Z

427. u.
1,408. 435.

1,423.



Contenta.

1. Bellum Bohemo Germanum ab
— aō 1617 ad aō 1630 1630.
 2. Melchior Nebel von Wiffstahl
Chronographia decennalis ~~freystellung~~
der Größten und Heudlung der Fünf
Täglich Armada von 1631 — 1641.
1641.
 3. Historia ~~der~~ Krieges von 1617. bis
1645. 1646.
-

BELLVM BOHEMO-
Germanicum,

SIVE

COMMENTARIO-
RUM RERVM BELLO, PACE-
QVE IN VTROQVE FORO SVB AVSPI-
cijs Inuictissimorum Imperatorum Roman. D. MAT-
THIÆ, & D. FERDINANDI II. in toto orbe
Christiano gestarum,

LIBER SINGVLARIS.

INITIVM, AC PROGRESSVM BELLIBOHE-
mo-Germanici, ab Anno Christi 1617. vsque ad anni 1630.
tempus vernale continens.

Mich. Casp. Ludovici.



PRODIIT
ANNO CHRISTI,

M. DC. XXX.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

Pou VC 4669

ANNO CHRISTI





COMMENTARIORVM
DE BELLO BO-
HEMO-GERMA-
NICO

LIBER SINGVLARIS.

Initia eius, causas, & progressus ab anno 1617. vsque
ad vernale tempus anni 1630. enumerans.



Causas, initium ac progressum Belli
Bohemo-Germanici, ab anno 1617.
vsque ad vernale tempus anni 1630.
descripturi, exordiemur ab Vnionis
Hallensis principijs.

Statuum enim, qui Orthodoxo-
rum nomen sibi vendicāt, aliqui Ha-
llæ conuenerant, & contracto arctio-
ri fœdere, quod ante quidem sanxerant, & Capite illius, Di-
rectoreque constituto Palatino Comite Electore, ad diem
18. Martij 1614. Heidelbergæ diem constituerunt: in quo
Consilium Vnionis singulare institutum est, quo sub Præside
ex Illustri aliqua familia, aut Nobilitate, certisque consilia-
rijs, & secretario de summa rerum consilium agitaretur.

E contrario vero Catholici Ordines fœdus inter se san-
ciunt, fœdere instituto, quod Ligam Catholicam, appella-
bant.

*Vnionis
Hallensis
principijs.*

*Catholico-
rum Vnio-
nis Ligæ.*

Diuo vero Rudolpho Imperatore rebus humanis exempto, Imperij jura Matthias suscipiens ordinum vnitorum disensionem & motus, jam tum flammam concipientes, repellere conatus, parum quidem permouet, sed tandem in apertam flammam & nervum Belli Bohemici, magna cum clade, & devastatione totius Europæ eruperunt.

Comitia
Bohemica

Ferdinandus
Bohemia Rex
coronatus

Et quidem Pragæ ad 26. Maij provincialis regni Bohemici Conuentus ab Imperatore fuit indictus, in quo Ferdinandum Archiducem Austriae, Proceribus commendavit, & vt in Bohemiae Regem eligeretur, & coronaretur ad futurum casum, non modo paterne monuit, sed & 30. Maij impetrauit. Hinc 19. Jun. Ferdinandus rex Bohemiae est coronatus.

Consilia
rei Caesari
ex fenestra
in subiectam
fossam praecipitati.

Dum hæc diuersis in regni partibus geruntur, Bohemiae Ordines, Defensores, conuentum Pragæ indicunt, hanc præcipuè ob causam, quo facta recta Majestatis jura, literisque vulgò Majestatis dictis, religionem ejusque concessionem à Divis Imperatoribus factam tueri possent. Verum conuentum hunc Imperator ægre ferre, & ordinum Apologia rejecta, vltiori congregatione interdicit. Ordines verò Pragæ congregati 20. Maij 1618. præuia exhortatione ad Populum facta, 22. ejusdem mensis ad maturiorem deliberationem progressi, tandem Consiliarios & præfectos Cæsareos, Dn. Slabatam, Dn. Schivvifanskium, vna cum Secretario, in ipsa Cancellaria Imperatoria per fenestram in fossam altissimam præcipites egerunt: qui, tamen singulari ex divina providentia incolumes evaserunt. Quod atrocissimum facinus, magnus tumultus & trepidatio per totam urbem est insecta. Qua vix sedata, Ordines magnum numerum Equitum peditemque conscribere, & scriptis editis causam suam defendere conantur, nihil autem in contumeliam S. Cæs. Majest. suscepisse sese, omnibus persuadere voluerunt.

Iesuitæ de
Bohemia
pulsæ.

Quin etiam 26. Maij 1618. literis ad Cæsarem perscriptis, eum de ijs, quæ Pragæ gesta fuissent, certiozem reddidere.

Interim

Interim etiam Iesuitas è toto Regno publico Edicto proferri-
bunt, & expellunt.

Etsi vero Cæsar, literis clementissime scriptis Bohemos, vt
arma deponerent, exhortaretur, non tamen hic perniciosissi-
mus motus quieuit, sed augescantibus copijs ordinum quo-
tidie maius sumebant incrementum, nec vllum remedium
tumultus huiusce sedandi, absque expeditione militari appa-
rebat. Copijs igitur conscriptis sub certis Ducibus, Cæsar, ad
reducendos subditos accingitur.

*Cæsaris
conatus.*

Imperator Electores & alios Imperij principes à subsidio
Bohemis mittendo literis auocat, & Apologiae Ordinum re-
spondet: Directoribus etiam missurum exercitum, qui obe-
dientes defendat, inobedientes coerceat, minatur. At Dire-
ctores respondent, sibi non esse animum, quod Imperatori
sefe opponere velint, nec opus esse vilo exercitu, modo de a-
liis pacis medijs cogitet. Quod si tamen exercitum mittere
cogitet, & cædes inde emergant, causam non sibi, sed ei qui
extraneum introduxerit militem imputandam esse.

Hungariæ status Ferdinando Bohemiæ regi regnum in
Maximiliani Archiducis Austriae præsentia decernunt cer-
tis conditionibus: si nempe vniuersas & singulas eius liberta-
tès, immunitates, priuilegia & statuta obseruare, & vt ab alijs
inviolabiliter seruentur, operam dare promitteret: Graua-
mina quoque tollere, religionem liberam relinquere, & in
quieto ac tràquillo statu omnia conseruare anniteretur. An-
nuente igitur ad omnia illa, & priuilegia ac immunitates non
tantum ipso, sed & Imperatore confirmante, in regem Hun-
gariæ electus, & 21. Iunij solenniter coronatus est. Tandem
his peractis Posonio rex cum Maximiliano Viennam se con-
tulit.

*Ferdinanus
Hungaricus
Rex coro-
natus.*

Dissensiones in Belgio hoc tempore valdè augentur. Ac
licet initio apparuerit de religione potissimum agi: animad-
uersum tamen regnandi iugumque excutiendi cupiditate

*Turbæ
Belgicæ*

multa suscipi. Fuerunt præcipuæ inter illas ciuitates Traiectum, Lugdunum & Harlemum, quæ nouis molitionibus studebant. Mauritius ergo princeps Vranus dissensiones illas tollere cupiens, Neomagum & Campedunum aliasque quasdam ciuitates primum ad quietem composuit, Amsterodami vbi omnia quieta fuerunt splendide exceptus & liberaliter habitus. Traiectum postea veniens à Senatu milites expectantes ante omnia exautorari postulauit, quod cum recusaret, surgens de nocte, Mauritius suos milites ad curiam & plateas vrbs primarias distribuit, portasque aliquot tacitus præoccupauit. Hinc ad castellum nouum profectus, vbi milites expectantes in excubiis erant, à præfecto primario, hostis ne an amicus esset, quæsiuit, & respondentem illi amicum se esse, sanguinemque pro salute eius profunderere paratum, iniunxit, vt armis depositis, omnes secederent, cui obtemperantes sese exhibuerunt. Hinc aduenientes primo diluculo, equitum peditumque cohortes sub Ernesti Nassouiensis comitis imperio vrbs totam classico cantu inopinato occuparunt, vrbsque ipsa ad obedientiam Ordinum rediit. Senatorum tum aliqui cum Secretario aberant peregrè, aliqui ab officio remoti fuerunt, quorum numerum in curia congregatis ciuibus cum compleuisset Mauritius, significari curauit quieti essent & synodum futuram expectarent. Successu hoc admirando monitæ aliæ ciuitates, Lugdunum, Harlemum, &c. cum Ordines de expectantibus istis militibus intra diem exauthorandis decretum promulgassent, sub pœna insecus facientes turbatoribus pacis debita, mandato obtemperarunt: Hocque facto pax vnitis prouinciis vsque ad nationalem synodum restituta fuit.

Cleselius
arresto ob
ligatus.

Cleselius Cardinalis Posonij electioni & coronationi regis Ferdinandi interfuerat. Viennam v. reuersus coram Ferdinando rege & Maximiliano Archiduce 10. Iulij comparere iubetur. Ad Aulam veniens in cœnaculū per Sigismundum

Praine-

Prainerum abducitur, vbi decretum indicatur, ob male administratam prouinciam in aula non tolerandum amplius, sed deposito habitu cardinalis nigrique coloris vulgaris assumpto per Comites Tampirium, Colaltum aliosque constitutos transportandum esse. Protestatione ergo in vanum adhibita per occultum transitum ex arce descendit, consensuque curru ad fines Styriae, indeque porrò in Tirolensem regionem per 200. Tampirenses equites est deductus. Petr⁹ verò Hutnerus secretarius Cardinalis clauibus depositis cum omnibus ad Cardinalem pertinentibus arresto obligatus fuit. Rex cum Archiduce ad Cæsarem se contulerunt, & signarum de facto isto erudierunt, Imperatrici etiam acta significanda curarunt, additis causis, quod fraternam Archiducalis domus concordiam & pacem subuertere, & alia minus ferenda tenrare studuisset.

Armilustrium interea Cæsaris nomine est habitum sub Henrico Iulio Lauenburgensi Saxoniae principe, Tampirio, Buchemio, Colalto, Mandæo, Mollarto aliisque ducibus, & in Bohemiae fines ad decies mille Equites peditesque cum tormentis maioribus missi sunt. Bohemi contra ingentem etiam exercitum ad sui defensionem compararunt, eiusque magnam partem ad Budvissensem ciuitatem loca que vicina, quibus transitus in regnum patet, destinarunt. Cumque Tampirensis ad Bohemiae fines venisset Landsteinij deditorem 3. Augusti nomine Cæsaris sibi fieri expetiit: Ea denegata Bistricum intercepit munitionemque sibi satis firmam parauit: Ad Neuhusium deinde progressus, & à praesidiis male exceptus, furorem suum in suburbium incendio & rapinis illud deformando vertit. Quod vbi Comiti Turrensi & Chinscio nunciarum esset, relicto Budvissio Tampiricos ad Bistricum usque persecuti sunt, Tampirius vero denuò Neuhusium tetauit, & iterum reiectus est: Pilgramum denique conuerso itinere deditione occupauit, praesidiariisque oppressis suo milite idem

firma-

Cæsaris
expeditio
in Bohemi-
am.

firmavit. Nec valuerunt ad incendium hoc in cinere mature
 supprimendum, Electorum Palatini & Saxonie Principumq;
 aliorum intercessionem & consilia, ad Imperatorem & Bohe-
 mos data: Vnde & Silesij in omnem euentum armilustrium
 instituerunt, & sex millium equitum peditumq; copias com-
 pararunt, quarum partem ad Bohemiam, partem ad Poloniae
 fines miserunt. Postquam vero & Comes Bucquius cum ma-
 joribus copiis in Bohemiam veniret, & Deutsbrodum occu-
 paret, literas alias Bohemi ad Imperatorem supplices pacem
 petentes & Electores Saxoniae Palatinumq; & Silesiae ordines
 dederunt, ipsorumq; defensionem & fidelem apud Caesarem
 intercessionem expetierunt, eandem & a Ferdinando rege
 & Maximiliano Archiduce requirentes. Interea Bucquius
 Saslauiam vsq; peruenit, vbi pugna 4. Septembr. facta est, in
 qua cum multi ex vtraq; parte, cum praesertim tormentis et-
 jam maiorib. vterentur, occubuerunt. Etsi vero legati ex Mo-
 rauia Pragam venientes ad pacem Bohemos, exhortati sunt, q;
 & Silesij fecerunt, in primis cum & Vienna domum rediens
 Dux Bregensis, q; ibi cum ducentis equitibus fuerat, non vsq;
 quaq; ex Caesareanorum suggestione Bohemorum facta pro-
 baret, & auxiliares copias Silesiorum, qui in comitatu Gla-
 censi iam erant, reuocaret: tamen aliter expendentes refor-
 mationem Bohemorum vtriq; aliquot equitum peditumque
 millia ipsis promiserunt.

In montana Grisonum regione terræmotus factus est, &
 mons summæ magnitudinis 15. Augusti sub crepusculum ve-
 spertinum commotus, tantam subito ruinam fecit, vt oppi-
 dulum Pluers ædificijs, templis, palatiisque egregiis exorna-
 tum dicto citius cum hominibus 1500. obortum fuerit, & ne
 vestigium vllum conspiciendum amplius reliquerit.

*Turba in
 Rhetia.*

Turbæ in Rhetia hoc tempore non exiguæ fuerunt, dum
 quidam statu democratico abrogato omnem ad se potesta-
 tem pertrahere niterentur: At sese inuicem exhortati in li-
 berta-

bertatem vindicarunt, dum Curæ primum, postea Turfeti conuentum instituunt, populo armato ex prouinciis magna copia confluente. In eo enim leges veteres instauratæ & nouæ conditæ fuerunt, quibus tam Romano-Catholicis quam Euangelicis exercitium religionis liberum permissum, iustitiæ omnibus ex æquo administranda & ab iniuria & intenta aliorum tyrannide vindicanda est promissum, inque eos, qui in patriæ perniciem quædam egissent, proscriptione & suppliciis variis animaduersum.

Pilsna Bohemiæ ciuitas ex primariis vna ordinibus resistebat, & Cæsari adhærebat. Ordines ergò eò Comitem Ernestum Mansfeldium destinant, vt armis eos coerceat, & sibi coniungat: quod Pilsnenses cognoscentes ipsimet suburbium suum pulcerrimum incendunt, in cineres totum redigunt, & se ad defensionem parant. Interea verò Bohemi dum Mansfeldius Pilsnam obsidet, videntes se inique passim traduci, ac si Sultanum Turcicum ad bellum Hungaris inferendum sollicitauerint, publicis literis partim affixis, partim alio missis, innocentiam suam testantur: Videntes etiam fictitijs literis suorum nomine exercitus conscriptos esse, ipsi ab Ordinibus Belgij auxilium petunt: Apud Cæsarem verò de abducendis ex regno militibus sollicitant, Bauarico principi se excusant, & ad pacis tractationem offerunt.

Post redactas in Belgio ab obedientiam ciuitates, non ces-
Turba
Belgica.
 farunt seditiosa ingenia Traiecti & aliis in locis consiliis operam dare. Aliqui ergò ex Senatoribus Traiecti cum Secretario Ledenbergio, ex aliis verò ciuitatibus quidam primarij Hagam vocati & armata manu adhibita in custodiam dati sunt, inter quos fuerunt. Hollandiæ advocatus Iohannes Barnefeldius, Romulus Hegerbetus Roterdamensis, & Hugo Grotius Lugdunensis verò confessus fuit, eos id egisse, vt vinculum vnionis Belgicarum prouinciarum rumperent, prouincias disiungerent, religionem mutarent, & Mauritium

principem ab imperio remouerent : Cumque intelligeret malam rem habituram exitum, violentas sibi ipsi, cultro petus suum bis perfodiendo & iugulum incidendo, nocturno tempore manus intulit, atque ita miserè vitam finiit. Mauritijs magistratus passim in Hollandia & Selandia reformauit, tribus sclopetariorum millibus eorumque profectis comitatus.

Rrs Bohemica.

Bohemis passim auxilia tum aduenerunt, ut castra sub initium Octobris triginta equitum peditumque millibus constare dicerentur, qui Cæsarianos ad summam redigere angustiam valuissent, nō defensiue rem etiam nunc agere & vltiori saltem in regnum progressu eos prohibere maluissent. Tampirius verò comitis Bucquoj imperium detrectās, cum officiarijs quibusdam Viennam versus iter instituit : Et inter ea Silesij quoq; protestatione tamen in publicum edita, qua cauerunt se nihil aliud quam religionis libertatem quærere, tribus equitum peditumque millibus Bohemis suppetias tulerunt.

Bucquoius 27. Octobris ad Neuhusium suas copias applicat, & aperiri sibi urbem jubet : at præfidiarij tormentorum dislosionibus id denegant : Budvvisium ergo rectā petit : Ordines suis militibus eum insequentes per syluam progressi in aperto tandem campo eum assequuntur, & cum eo confingunt ad horas quinque, donec nox superueniens prælium finiret. Noctis istius beneficio Bucquoius Budvvisium assequitur, & paulopost magno suo commodo Crumlauia intercepta, firmoq; trecentorum peditum & 200. equitum præsidio munit. Ordinum ergo milites cognoscentes commeatum 38. curruum Viennæ sub præsidio 800. Furstenbergicorum militum Cæsarianis mitti, cum tribus peditum vexillationibus, & duabus equitum turmis in eos mouent, & fufis atque fugatis plerisque omni commeatu potiti sunt.

Pro Pilsnensibus intercesserunt quidam sedulo, Elector Saxo-

Saxoniae & Bauariae princeps, adeo ut spe bona, ipsos amplius nihil hostile tentaturos, exercitum abducendum Mansfeldio iniunxissent Ordines Bohemiae: Cum vero tormentis ad tria ferè milliaria ab vrbe euectis, & ad milliaria duo milite digresso, Pilsnenses atrocibus & minacibus verbis prouinciales terrerent, effecerunt, ut precibus Mansfeldium reuocarent, qui etiam reuersus obsidionem instaurauit, eamque ad extremam ferè vrbis perniciem deduxit. Nec valere apud Pilsnenses cōditiones ab ordinib. ipsis ex cōmiseratione propositae, ut nempe deditioem facerent, deditioque illa nullius honori praeiudicaret, praefectus vrbis Felix Dornhanus cum praefidiariis militibus suis armati Bambergam versus decederent: ciues Mansfeldio Comiti 60000. aureos persoluerent, atq; ita direptionem vrbis redimerent: Et duarum vexillationum praesidium ex Mansfeldicis militibus reciperent. Allatis ergo Praga duobus aliis maioribus tormentis tantam ruinam obsidentes fecerunt, ut in ciuitatem maximè tandem deformatam irruperint, eamque 13. Nouembr. occuparint. Ciuibus & aedificiis post factam expugnationem, cauente id Mansfeldio, nulla vis est illata. Monachi Franciscani abire volentes in Bauariam, manere sunt iussi. Die vero 15. Nouembr. Mansfeldius adiunctique ipsi commissarij cum praefectis & Officiariis aliis templum S. Bartholomaei ingressi sunt, vbi à Concionatore militari habita est concio, Deoque pro impetrata victoria gratiae sunt actae. Rebus tandem in vrbe ad quietem compositis, & ciuibus iuramento protestantibus, ad quorum voluntatē se componere debeant, obligatis: Mansfeldius ad ordinum castra cum exercitu suo concessit, Ioanne Georgio Comite Solmensi, cum 7. equitum peditumque cohortibus in vrbe relictis.

Circa haec tempora visus est manè ante Solis ortum in caelo Cometa plixa admodū cauda formidabilis, in signo Scorpii prope lancem, qui inde progressus versus Borrholybicum

Cometa
Res Boh.
B 2 contra

contra s. s. Bootem ferè totum (juxta quorundam opinion.) perlustravit.

Tampirio Viennam Austriæ cum præda in Bohemia collecta repetente, exercitus Bohemicus consilio Turrensis Comitis in duas partes distributus est: vnà sub ipso & Comite Schliccio Tampirium subsequuta est, ad recuperandam prædam illã: altera propè Budvvisium mansit, Bucquoij excursiones inhibitura. Schliccius in Cæsarianos aliquot, 15. Nouem. ducentos quadraginta in duos currus Bohemica præda onustos, cum 4000. copiis equestribus & pedestribus incidit, fisisque magna parte militibus currus illos cum 70000. Imperialibus & magna pecorum copia reportauit, aliamque prædam trucidatis custodibus in oppido quodam obtinuit. Ad monasterium inde Suethel dictum concessit, Abbate eum admittente, illudque 50. sclopetariis firmavit, & probè muniuit. Cum Turrensi tandem Hobefortum, Wettram & alia loca intercipienda cõcesserunt, & Ledetsium venientes magnam pulueris tormentarij, globorum, item & funiculorum vim trucidatis, qui eam Budvvisium cum centum pyrobilis & duobus tormentis traducere debebant, interceperunt, & ulterius progressi ad nouem vsque à Vienna milliaria omnia infesta reddiderunt. De qua subita in Austriam irruptione Ordinibus Austriæ sese excusarunt, & Imperatori ac Silesis datis literis causas reddiderunt. Interea Deutsbrodium, q̄ hactenus tenuerant Cæsariani, deseritur & ad Ordines redit.

Circa initium Decembris Turrensis Comitis filius cum Hardeccensis Comitis filia, quam 4. equitum turmis ex arce patris, quinque milliariibus Vienna distante in Bohemiam deduxerat, Neuhusij in præsentia multorum Præfectorum & Procerum celebrauit.

Tampirius verò, comparata trium millium ad Cremsam exercitu, in omnes Bohemis incommodandi occasiones intencus fuit. Milites vero cum damni plurimum passim intransitu

da-

darent, nouis querelis ad Cæsarem causam præbuerunt.

Excitarant Austriaci supra Anisum munitiōem quandam ad Danubium, cuius demolitionem Dux Bauarię & Passauenses apud Cæsarem diligenter quæsiuerunt. At responderunt Cæsari ordines, ad nullius offensionem, sed defensionis causâ eam extructam esse: nec consultum sibi videri, vt dejectas in syluis arbores remoueant ad liberum transitum, cum periculum, quod omnibus obuium est, aliter suadeat, & impeditæ viæ ad securitatem suorum faciant.

Hoc tempore relatum est, Turcas cum Persis propè urbē ^{Turca ca} Ardeuillensem prælio insigni concertasse, in quo Turcarum ^{si.} ad 60000. Persarum 9000. perierunt. Fuit exercitus Turcæ duplo major 200000. Persarum tantum 100000. Etsi verò Persarum rex victoriam obtinuisse scribitur, quia tamen & ipsa non parum cruenta fuit, misso ad præfectum Turcicum legato pacem ei obtulit, copiosumque sericum Sultano tributum annui nomine soluturum promisit; qua pace ad imperatoris ratificationē acceptata, comœatu Persarum rex Turcas iuuuit.

Nata Elitabetha, Friderici V. Electoris Palatini filia, 26. Decembris.

Obierunt: Philppus II. Dux Stetini, Pomeran. &c. 3. Fe- ^{Obitus}bruarij, Nicolaus Donatus, Dux Venetus, 26. Aprilis, postquam 4. mentes & 3. dies præfuit: Et in ejus locum surrogatus est 7. Maij, Procurator D. Marci Antonius Priulus.

Maximilianus, Archidux Austriae, 23. Oct. anno ætat. 60. cum paucis diebus ægrotasset.

Imperatrix Anna, Matthię Cæsaris conjunx 4. Decembris horam circiter 10. matutinam.

Albertus Joannes Baro Schmirscincius 18. Nouemb. cui corollam ex rore marino & preeiosis vnionibus contextam miserat sponsa Hanouiensis comitissa, quæ capiti imposita est cum aureo torque, qui collo, cui effigies sponsæ erat appensa, circumdatus est.

ANNVS CHRISTI 1619.

Res Boh. Circa initium anni in Bohemia multi incendiarij sunt de-
prehensi, eorumque non pauci crudeli supplicio affecti: Ci-
vibus verò Pragensibus, vt de aqua in omnem euentum sibi
prospicerent, seriò inunctum.

Crumlauiam sibi proposuerunt intercipiendam ordinum
milites, ad excursions prohibendas, quibus incolis maxima
damna afferebantur: Verum cum præfidiarios in armis esse
deprehendissent, mutata sententia ad castra redire volue-
runt. In eos cum mille armatis incidens Bucquoius cruen-
tam pugnam instituit, in qua quingenti circiter ab vtraque
parte ceciderunt, Comite paulatim recedente & intra vrbs
Budvvisensis mœnia se recipiente.

Terramotus. In comitatu Coningsteinensi, vt & Cronbergæ & Reiffē-
bergæ ppè Francfurtum ad Mœnum terræmotus factus est
29. Jan. mane circa horam 6. & 7. quo Nidda fluuius aquam
vsque adeò amisit per hiatus procul dubio terræ, vt molæ,
quæ passim ad fluuium istum excitatæ sunt, officium facere
ultra tres horas non valuerint.

Synodus. Instituta Dordraci synodus, hoc tempore habetur, ad quã
multi Theologi reformati, nonnulli etiam ex Arminianis seu
Remonstratibus vocati accesserunt, Conquesti verò sunt hi
de partis adversæ iniquitate, quod quinque à se propositorū
capitum defensionem non admittere, sed ad suam omnia
sententiam conformare velint, & protestati simul, quod re-
formatorum de absoluto prædestinationis decreto sententię
assentiri non possint.

Res Boh. Ordines Bohemiæ ad Electorem Saxonix scribunt de as-
securationis induciarum medijs, quæ sibi suisq; cōfœderatis
Silesiis præstari posse, negant, quod videant Duces belli Buc-
quojum & Tampiriū homines esse extraneos, ad Romanum
imperium non pertinentes, nec sedem certam habentes, vn-
de dam-

de damna sua repetant: quodque turbæ istæ omnes ex non
servatis promissis originem traxerint: & Tampirēsem Comi-
tem in superioribus turbis Austriacis durantibus adhuc in-
ducijs in Kinsbergij ditionem impetum fecisse, ac violandis
inducijs causam dedisse, pœnas tamen præter verbalem forte
reprehensionem aliquam nullas, imo majorem promotionē
expertum esse.

Pilsna expugnata & occupata, rumor sparsus est de Præ-
positi alicujus mala à præfidiariis exceptione & tractatione:
Qui postquam ad Bavariæ Ducem pervenit, scripsit is Dire-
ctoribus: Si Ordines petulantia istius conscij ad eam conni-
vendo tacerent, liquidò jam apparere commotionem illam
Bohemicam non ad religionem suam asserendam, sed ca-
tholicam opprimendam institutam esse. At Ordines respon-
derunt, meram calumniam esse, seseque ad ipsam Præpositi
confessionem provocare.

Ernestus Comes Mansfeldius, quod sedulam operam ad ^{Mansfeldius}
urbis Pilsnensis expugnationem præstiterit, à Cæsare 19. Feb. ^{dus}
proscribitur, edicto publicè locis consuetis affixo, quod se- ^{proscri-}
quenti tamen nocte refixum fuit. ^{ptus.}

Saxonix Elector publico scripto diem constituerat inter- ^{Res Boh.}
positioni 14. Apr. qua in Egera vrbe deputatæ à Cæsare per-
sonæ cum Electoribus & Principibus legati item Bohemix &
Silesix convenirēt, operamque darent diligentissimam com-
ponendis periculosis turbis paci que instaurandæ. Cæsa-
riani verò milites nec tum ab hostili conatu abstinebant, sed
loca varia incendiis & direptionibus deformabant: & para-
bantur passim exercitus ad compescendos subjugandosque
protestantes. Bohemix ergò Ordines vigesimum quemque
per uniuersum regnum arma corripere, & in parato esse ju-
bent, vt laboranti patriæ subvenire quàm optimè possint.

Sub initium Martij Tampirius cum exercitu suo ad Græt-
siam Svanbergensi subjectum oppidum movit, illudque præ-
sidio

fidio in arcem concedente facile interceptit. Cum v. videret arcem expugnari tam citò non posse, & frequenti dispositione tormentorum milites suos ex arce infestari, direpto incensoq; oppido in securum locum exercitum abduxit.

*Novus
Eq.ordo.*

Novus equestris ordo de Sancta militia à quibusdam Principibus, Comitibus Proceribusque catholicis Viennæ instituitur, & initur, vt Duce Niuernensi, principe Ratzivilensi, Duce Saxonie Lauēburgensi, Comite Althemio, Buchemio, Arhensi & alijs, qui 8. Martij die peractis sacris templo egressi in genua sub aperto cælo procubuerunt, jusjurandū quod infideles omnes persequi & catholicam religionem defendere velint, tacto duobus digitis Evangeliorum libro, præstiterunt: postea surgentes evaginatis gladiis aerem divaricatum percusserunt, templumque iterum ingressi, insignia ordinis crucem, nempe & San. Mariæ effigiem acu pulcerrimè pictam exhibentem, quā pallijs affixa gestarent, solenni cum devotione acceperunt.

Mense Martio Alcmariæ in Hollandiâ seditio exorta est. Ex synodo enim Doḡracensi quidam ex Ordinibus deputati venerunt, & Arminianos concionatores removere, reformatos verò in locum reponere debuerunt. At ciues catervatim accurrentes templi fores occuparunt, & deputatorum conatus impedierunt. Missi igitur paulopòst aliquot milites in autores inquisiverunt, & eos punierunt. Horni similis tumultus accidit, vbi Arminianus concionator cedere nolens, curru impositus abducendus fuit. At socij religionis concionatorem ex curru liberarunt, & currū dissecuerunt. Milites hoc animadvertentes cives dissiparunt, & tres ex illis tormentariis globis confecerunt, concionatoremq; alij curru imposuerunt, & inde abduxerunt.

Expeditionibus bellicis passim gliscentibus, Daniæ & Sveciæ reges fœdus renouarunt, & legatis missis ad terminos confirmarunt.

Mat-

Matthiæ Cæsari 10. Martij dies funestus fuit. Ille n. intra horam 8. & 9. matutinam obiit, cum annos 62. & dies 15. vixisset. Eo mortuo Imperij administrationem Palatinus & Saxonix Electores Vicariam quicq; in provincia compertinente susceperunt, missis ad status publicis literis, Moguntinus v. Elector ad 10. Julij Electores Imperij Francofurtum ad novi Imper. electionem vocavit.

Galliæ regis mater post sublatum Ancreum per biennium *Res G illi* ferè Blesq delituit, qui locus ei à rege assignatus erat, vt vitam *ca.* ibi viduam ageret: verùm ipsa pertæsa Lochetam sese receperat, Espernonio & aliis quibusdam ipsi auxilium hac in re præstantibus. Ægrè hoc ipsum tulit rex, & collecto sedecim millium equitum peditumque exercitu obviam conatibus matris Espernonij ire contendit. At mater scriptis literis ad filium regem sese excusavit, maritumque suum patrem regis Espernonio se commendasse, vt & suam & filij regis dignitatem tueretur, prætendit. Rex contra hoc ipsum negavit, & dignis modis ulturum injuriam ab Espernonio illatam sibi proposuit, sed tandem sese interponente Cardinale dela Roche foveant, & Bethune svasu Consiliariorum regni cum matre reconciliationem in certis articulis iniit.

Sublato è vivis Imperatore intèrpositionis negotium Eg. & indictum totum expiravit. Ferdinandus vero regnorum regionumque possessionem Alberto Archiduce concedente aggressus est, Missis ergo primum ad Majestatis Cæsariæ reli- *Res Boh.* ctos in Bohemia Vicarios Consiliariosque literis obitum Cæsaris ijs significavit, eosque in commendata à Cæsare defuncto Vicaria regni administratione ad futuram suam dispositionem pergere iussit, monuitq; vt de lugubri isthoc casu omnes Consiliarios & officarios certiores faciant, vtque ad luctum more veteri se componant, hortentur: Se verò in eo totum futurum, vt turbis in regno sublatis pax & tranquillitas constituatur, & sua vnicuiq; iustitia administretur. Spe-

C

rare

rare ergò eos beneficium istud accepturos, & omnem sibi obedientiam vicissim præstituros. Deinde missis etiam ad Húngariæ Bohemiæque regna coniunctasque ipsis provincias, nec non ad superiorem & inferiorem Austriæ Archiducatum literis, ad præstandum sibi juramentum subditos hortatus est. Status verò Austriaci magnitudinem rei prætendentes tempus sibi aliquod ad deliberandum permitti, militemque interim ex regionibus istis abduci & gravaminibus suis remedium adhiberi petierunt. Ferdinandus interim regio diplomate in lucem edito testatur, se promisisse regnum Bohemiæ conservare, defendere omnes in eo proceres, Pragenses, civitates reliquas, subditosque uniuersos patrocinio suo tueri, ipsorum iura, constitutiones, priuilegia, maiestatis diplomata, religionis adsertiones aliaque id genus facta tecta conservare, arcem Carolsteiniam cum diademate & aliis regni insignibus nemini, insciis & inuitis regni proceribus permittere, à recepta regni consuetudine non recedere, extraneos nullos siue spirituales siue seculares, sed solos indigenas Bohemos aulae politicis & Ecclesiasticis officiis præficere, ad regnum pertinentes provincias non alienare, permutare, aut ullaratione à regno abducere, sed quod alienatum, permutatum aut distractum sit, recuperare, redimere & in integrum restituere, monetam regni non minuire & deteriorare, sed valorem conservare, denique indulta facta tecta conservare. Bohemi verò videntes hostes ab armis non desistere, sed in perdendo regno perseverare, eoque sine nouum in diuersis regionibus exercitum colligere, & Bucquorum variis excursionibus ex Budvuisio & Crumauia ferro & flamma loca vicina vastare: ipsi quoque ad omnem fortunam sese præpararunt, & literas ad Electores duos, Palatinum & Saxonem, dederunt, quibus conquesti sunt, Ferdinandum, qui exercitum in regni perniciem adhuc retinet, ut incendiis & rapinis omnia vastet, sine omnium quæ necessario requiruntur ad impletionem, ad re-

ad regnum accedere velle, & rogarunt vt de salute & tranquillitate sua seriò cogitent. Chinscius interea cum mille equitibus & quingentis sclopetariis Polnam sese conferens, incidit in 400. Heiduccos, quos plerosque trucidauit & insignem prædam obtinuit. Postea ex interceptis cognoscens 400. alios equites diripiendis Suanbergensis bonis operam dare, jamque 30. currus pabulo aliisque bonis onustos secum agere, progressus strenuè in patenti campo eos est adortus: at illi in pagum proximum confugerunt, & ex occupatis ædificiis fortiter ad 3. horas sese defenderunt, tandem Iohan. Georgio Solmensi Comite cum sclopetariorum vexillatione superueniente, domo vna atq; altera incensis, cæsis nonnullis, reliquos 140. in potestatem Bohemorum traduxerunt, propiusque tandem ad Budvvisium mouerunt.

Flissingam in Selandia circa principium Aprilis appulit nauis, cum diuiti præda, quæ per aliquot menses abfuit, & circa æquinoctialem lineam Hispanicam nauem ex occidentali India præciosis mercibus onustam in suam potestatem redegit.

Austriæ superioris status animaduertentes aliud non agi, quam religionis Protestantium ruinam quæri, cum Bohemis fœdus instaurant: quo factò, cum Morauia status ad ipsorum partes accedere recusarent, Turrensis Comes accepto à Directoribus mandato, cum sedecime equitum peditumq; milibus in Morauiam concessit, mox 12. Aprilis Iglauiam sine magna reluctatione interceptam præsidario milite firmavit. Postea vltèrius progressus Trebnitsium, Polderbercam monasterium Brucense & Tzuoimum occupauit, & præsidario milite instruxit. Silesij interea munito Troppauensi Ducatu, Lipintium & Rhenitium interceperunt, & Olmutium venerunt, vbi Cardinalis Ditrichsteinus vim videns, accessurum se quidem ad vnionem pollicitus est, ea tamen lege, vt nec metu nec in præiudicium regis id fecisse videatur

tur. Idem postmodò & alij prouinciales Catholici ipseque princeps Lichtensteinius fecerunt. De ista verò in Morauia irruptione Popelius ad Turrenses scribit: Sux fidei comendatam esse prouinciam, & meritò se quærere quare in eam cum exercitu irruerit? At Turrensis respondit: se non proprio ausu, sed aliorum iussu id fecisse, & habere secum vniuersam nobilitatem Bohemicam, quæ venerit, vt fratres, cognatos & familiares inuiserent, & ad communem cum ipsis vitæ necisq; fortunam obligarent. Cõstituisse n. coram statibus de hostibus suis conqueri, q̄ amicitie illud vinculum disrumpere, regnumq; cædibus, incendiis & rapinis miserum in modum deformare cogitarent. Wallensteinius interea ad Hungariæ fines Schalitium & Lebarem progredi, ibiq; ne Hungaricis militibus transitus intercluderetur cauere decreverat. Et se Tampirius & Nachotensis cum 1000. Morauicis equitibus conjuncturi dicebatur, vt & Olmutium & Prinnam conjunctis copiis durantibus comitiis interciperent: Verùm orta inter milites seditione, pleriq; diffugerunt: & Nachotensis equites corona ipsum cingentes rationem reddere iusserunt sui imperij, q̄ prouincialis Morauie Præfetti literas protulit. At ipsi contra protestati, nõ Præfetto sed statibus juramento se obligatos teneri dixerunt, moxq; cum Subpræfetto Prinnam contenderunt: Quo facto, vterque Dux desertus à militibus Morauie districtuegressi sunt. Tznoimi congregatis ordinibus hoc statim innotuit, qui relictis in præsidio duabus cohortibus & assumpto secum cum 700. equitibus Duce Schænlitio Prinnam abierunt, habitoq; in Anserlitij ædibus consilio per horam, congregatos in subiecta ædibus platea ciues, verba faciente Lindenbergio, interrogarunt: An cum statibus protestantibus facere vellent? quibus annuentibus ad arma conclamatum est, receptisq; in urbem septem equitum Germanorum turmis & occlusis portis in forum Carbonarium processerunt, ibique sub aperto cælo admissis etiam

qui

qui urbem tum ingressi erant Iglauensibus iuraverunt. Postea accedentes Ordines Cardinalem, qui Generalis præfecti officio fungebatur durioribus ab ipso verbis, num cognitum quid haberet de Wallensteinij & Nachotensis conatibus sciscitati sunt, simulque eum à præfectura abstinere iusserunt: qui perterritus nihil sibi de conatibus istis constare & se officio præfecturæ decedere, & ab ordinum partibus stare velle respondit. Inde ab Tseretinum ipsumque principem Lichtensteinium præfecti, idem ab ipsis responsum tulerunt. Tandem Senatu civibusque convocatis, cum 120. milites in arcem Spilbergensem conficiis civibus introductos cognovissent, civisque id negarent, exautorare milites Senatum compulerunt, ipsique Ordines acceptatos iterum & sibi obligatos in arcem remiserunt, clavisque urbis arcisque Senatui ablatis & subpræfecto Stubenfeldio cum 1000. equitibus Prinnam reverso eosdem permiserunt. Cardinalem verò 23. Aprilis, ablegati 12. ex Ordinum numero viri, arresto obligarunt, ne inficiis ordinibus inde egrederetur, quod & Tserotino factum, equitum turma ad ædes eorum in excubiis collocata. Sequenti die Ordines de comitiis habendis, officiis publicis mutandis, Senatu Catholico & præfectis abdicandis, Iesuitis ex urbe & totâ regione profligandis, consultarunt. Eiecti ergo, & per decretum 26. Aprilis factum profligati sunt per publicum proclama Iesuitæ. Cumque ingens in sub urbio incendium exortum ad 100. ædificia deformasset, causa verò eius Iesuitis decedentibus imputaretur, 32. illorum in urbem retracti custodiaque traditi sunt in curia, sed innocentes deprehensi iterum dimissi. In Wallensteinij verò & Nachotensis loca Fridericus Tifenbachius Sirodinus & Ladislaus Wellen substituti & Morauicis copiis, quæ ex duobus equitum & 3000. peditum constabant, præfecti sunt. Tandem 28. Aprilis legati Bohemix, causam sui adventus exposuerunt, ut scilicet facta unione vires cum Bohemis conjungerent, & communicato cum



reliquis confœderatis provincijs consilio turbas componerent, & pacem constituerent.

Synod.
Dord.

Synodus nationalis Dordraci habitata interea, 26. Aprilis finita & conclusionibus certis contra Arminianam doctrinã Latino sermone comprehensa publicata est, præsentibus plusquam tribus auditorum millibus: Et lata sententia in Johannem Oldenbarnefeldium Hollandiæ & occidentalis Frisiæ advocatum, quæ eum capitis supplicio destinavit. Tercio ergò die Maij, qui executioni dictus est, postquã ad mortem se paravit, auditus à duobus Theologis, Antonio Willesio & Johanne Lamotio per ministrum suum ad arenæ tumulum adductus in genua procidit, remotaq; interula Spiritum suum DEO commēdavit, quo peracto per carnificem ipsi septuagesimum tertium annum jam agenti, caput abscissum est, cujus confessionem Ordines publicis literis cognoscendam omnibus exhibuerunt. Subsequenti die cadaver Barnefeldij in arcis templo nullis ceremonijs nullaq; pompa adhibita sepultum est. Quinto verò Maij sententia in Ledenbergij, qui manus sibi ipsimet violentas intulerat, cadaver, talis lata fuit: vt vna, in qua conditum erat, vinculis ferreis probe munita ex vrbe protraheretur, inque paratam eo fine crucem adacta suspenderetur. In Hiotium & Hogerbetum 8. Maij pronunciatum, vt habitata intercessionis multorum ratione vita quidem donarentur, ad certos tamen annos captivi tenerentur, bona verò ipsorum cum Ledenbergij & Barnefeldij bonis fisco applicarentur.

Res Boh.

Dum quæ antea proposita sunt in Moravia aguntur, Tampirici tantam in inferiore Austria crudelitatem exercuerunt, vt vel Tucorum superare videretur. Status ergo regem miserabili affectu rogarunt, regionis totius periculum & interitum sibi ob oculos proponere & remedium quam primum exoptatum afferre clementissime dignetur, nec ad molestias exasperandas, novas insuper ex Hungaria copias introduce-

re si-

re finat, atq; ita suis sumptibus sustentata in finibus Turcicis præsidia evacuet: Verùm potius patriam omni milite liberet, & à direptionibus desolationibusque, quæ in præiudiciũ veri hæredis Archiducis Alberti diutius ferrè non possit, vindicet. Secus si faxit ad D E V M confugiant & per extremam desperationem foro servientes auram mitiorem captēt necesse est.

Interea Directores si pacis tractatio suscipienda sit de conditionibus deliberarunt. Primaq; fuit vt in toto regno status & subditi Protestantes sub quocunq; magistratu, siue Catholico siue Evangelico sint, in puncto religionis jure impetrati diplomatis à Rudolpho Cæsare, initisq; ab vtraq; parte patris, comitiõrum recessibus & Cæsarijs regijsq; confirmatiõibus vtantur, fruantur, & eodem modo, quo in Silesia, habitantibus, quibuscunq; templa scholasq; extruere & aperire liceat, quæq; vel à rege vel illis qui sub vna sunt contra suscepta decretaq; sunt, irrita habeantur omnia. Secunda vt Iesuitarum ex regno proscripitiõ rata & firma habeatur, nec ipsis in æternum sub quocunq; prætextu redire liceat, Collegia verò & bona omnia ipsorum, commodis publicis ordinum cedant. Tertia factæ cum Hungariæ, Austriæ, Moraviæ & vtriusq; Lusatiæ populis confœderationes ratæ & firmæ sint. Quarta Defensionis negotium ad generalem provinciarum istarum conventum differatur. Quinta Conuentus ordinũ in diversis territoriis more veteri instituere liceat. Sexta, Hæreditariæ cum vicinis Electoribus Principibusq; confœderationes instaurentur. Septima, quorundam ex regno proscripitiõ & ab officiis muneribusque publicis remotio rata habeatur. His articulis postmodum à Directoribus plures adhuc alij regno & provincijs necessarij adjecti sunt: quibus Episcopo Pragensi jus in templa & Ecclesias abrogatum est, & Consistorio attributum, Clostergrabiensibus potestas data alio interim templo vtendi in ciuitate, donec novum ex-
structum

tractum fuerit : Brunoviensibus & Pragensibus in diversis locis extructa templa tranquille possidendi libertas est concessa : Constitutum quoq; vt Pragensibus oppidis mænia sua reddantur, jura peregrina Ecclesiastica eorum juris dictioni subijciantur : Pragensis Academia restituatur , Et ne Camera Bohemica regiæ Cameræ subiecta sit, nec decretis ejus promovendis seruiat. De Pilsna & Budvvisio, vnde multum damni regno illatum, impostero delibere.

Circa finem Aprilis Ferdinandus rex Ottonem Melan-Confiliarium suum Uratislauiam misit, qui significaret: decrevisse regem defuncto Cæsare Matthia regni administrationem adire, omnia Principibus & regionibus istis jura & priuilegia tam generalia quam specialia, omnes item concessionem, consuetudines, Maiestatis diplomata & indulta confirmare, regium in illis locis officium & iuramentum fidelitatis acceptare, sicque sperare futurum, vt non solum promissas contributiones exsoluant, sed debita etiam officia alia sibi præstent, vt ita causam habeat paternum suum affectum erga eos magis ac magis declarandi, & Bohemiæ ordines, quibus similiter privilegiorum confirmationem transmiserat, occasionem inde accipiant ad obedientiam debitam se componendi, vt ita bello omni sublato pax & tranquillitas regno iterum restituatur. At illi per supremum Silesiæ Capitaneum Ducem Lignicensem & Bregensem Ioannem Christianum responderunt: In votis equidem nihil aliud habuisse, quam vt obitus in ea incidisset tempora, quibus in pace constitutis omnibus vti frui privilegijs & immunitatibus liceret, & Rex optatum successionis suæ finem assequi quam commodissime posset: At non dubitare quin ante oculos sibi propositurus sit, quæ regionum istarum sit confusio, ut eius difficilis admodum & periculosa compositio videatur: Consideraturus etiam, q̄ jam turbata pace & quiete publica sublata, bello & armis omnia repleta & fœdata sint, quodq; ad salutare

tare

tare & omnium bono susceptum defensionis negotium infringendum, non solum disputationes & interpretationes variæ excogitentur, sed & arma parentur & vis maxima subiectis inferatur, ita ut jam non sufficere amplius posse ad pacem in regno & regionibus istis constituendam nuda priuilegiorum confirmatio videatur, sed facto ipso, quod verbis promissum declarare statim necesse sit. Hincquè regem & omnes alios animadvertere facilè posse, etsi superiori tempore ex libera voluntate, nullo ad Bohemię regnum respectu habito, in supremum regionum istarum ducem eum elegerint; jam tamen rebus in regno & provinciis aliis sic stantibus in summum aliorum præjudicium eam acceptare & ad gubernacula admittere non posse. Sperare itaque & petere ne in malam partem accipiat, quod habita periculosissimi istius temporis ratione expectandum sibi existiment, donec non solum regni Bohemię administrationem suscipiat, sed turbis etiam compositis regnum omne in eum, quem priuilegia sua requirunt statum, pacatum nempe & tranquillum cõponat: quo facto cum regni administrationem aggressus fuerit, dubitare eum nullo modo debere, quin facturi suo loco sint, quod necessitas postulaverit.

Turrensis rebus ex voto in Moravia confectis, inferiorem Austriam cum exercitu ingreditur, & locis oppidisq; aliquot interceptis Labam, quæ præsidio munita fuit, obsedit. Hinc Protestantes status interrogari eum per Legatos suos curarunt, quid causæ haberet, quod cum tanto exercitu regionē istam ingressus esset, cum nihil se fecisse scirent, quod Bohemos offendere potuisset, eumq; vt exercitum iterum abduceret, rogarunt. Paulo post 3. nempe Iunij etiam Catholicorum statuum legati ad castra venerunt, idemquè, verba faciente Comite Buchemio Comiti Turrensi proposuerunt & rogarunt. At Turrensis respondit: Quod Bohemi fecerunt summa necessitate coactos fecisse, se copias hostiles perfe-

D qui,

qui, & hostem profligare cupere, si vel Hierosolymis esset, venisse in provinciam istam pacis & tranquillitatis constituendæ, conseruandæ, oppressosque iuuandi causâ, velle eum, vt pari passu Catholici posthac & protestantes ambulent, Catholicos hætenus superiores fuisse sed malè, se DEO confidere, quod causam suam & Ecclesiæ iustam clementer protecturus sit. Ad Labam nihil moliri voluisse, nisi præsidio munitam deprehendisset & causam ad obsidionem istam ipsimet dedissent, Trautsamio etiam Comiti significari curâsse, vbi nullum præsidium nullamque reluctationem deprehendat, nihil ibi periculi ab adventu suo inquilinos metuere debere. His auditis legati responderunt, acturos cum rege, vt & Laba & loca alia per prouinciam milite liberentur. Turrensis verò, si milites Laba abducantur, portæ ciuitatis aperiantur, & nõ ab hostibus sed à Protestantibus præsidio posthac firmentur, nolle se quicquam amplius ibi moliri, recepit.

Sexto Maij Protestantes in Hungaria conuentum habuerunt, & in eo inter alia de Iesuitis ex regno eiiciendis egerunt, quos & publico edicto, quo multa in specie ab ipsis perpetrata facinora complexi sunt, proscripserunt.

Nec ita multo post, 14. nempe Iunii, decretum in conuentu Principum & Ordinum Silesiæ conclusum, per Capitaneum supremum Ioannem Christianum Ducem Lignicensem & Bregensem publicatum est, vt ne quis cuiuscunq; ordinis & dignitatis Iesuitis domicilium præbeat, cum proprium illorum sit callidis artibus, qui nuper ex vicinis provincijs sunt exclusi, sese insinuare, consilia sanguinolenta comminisci & turbas quacunq; ratione & modo dare.

Austriæ inferioris Ordines Catholicis quædam capita ad deliberandum proponunt, ut nempe Catholici cum Protestantibus vnum corpus sint, & pars vna alteram ingruente necessitate defendat: Priuilegia omnia vt ciuilibet statui libera sint, nihilque in ipsis mutetur: Sepulturæ, hospitalia &

Res Austriaca.

no so

nosocomia omnib. sine vlllo religionis respectu administrentur: In Academiam Viennensem viri docti sine vlllo religionis discrimine vocentur. In conscientia sua nemo ob religionem turbetur: A persecutionibus vtrinque abstinenceatur & libertate sua cuiq; frui permittatur. De quibus capitibus etsi convenire non possent: praesidium tamen ab vrbe Laba, expetente ita Turrensi comite abductum: hocq; facto Turrensis aliud quoddam introduxit, donec ab Ordinibus de praesidio vrbi prospectum sit.

Turrensis Comes Laba Viennam exercitum suum 23. Maij applicavit: Bohemorum turma sub Ladislai imperio in 500. Hungaros ad comitem Bucquojum properantes incidit, ortaq; pugna maximam partem trucidavit. Interim ipse Turrensis ad sinistram declinans ad Fischetum oppidum milites navigijs per Danubium traduxit, & 27. Maij suburbium statim occupavit. Clausis itaq; portis vna tantum ad rubram turrim ad victum asportantibus necessaria interdum aperiebatur. At Ordines 29. Maij missis ad Comitem legatis quaerunt, cur tanto cum exercitu nulla injuria affectus advenisset. Comes vero respondit: Mirari se potius eos hoc dicere, cum talem exercitum in Bohemiam introductum probe scirent, qui caedibus, rapinis & incendijs loca omnia infesta reddidisset, tantaque crudelitate usus esset, vt majorem, infantes trucidando, honestas matronas & virgines pedibus manibusq; ligatis stuprando, tandemque ipsas dissecando, exercere ne juratus quidem Christiani nominis hostis potuisset: Et insuper etiam ex locis alijs alios exercitus expectarent, vt salutare confederationis negotium interturbetur. Cupere igitur, vt revocato Hungarico & alio milite nullus amplius in regiones istas introducatur. Sin minus, se aliter facere non posse, quam vt vim vi repelleret. Petere autem, vt quicquid facturi sint, quamprimum explicent.

Interea ad Budviviū castra Bohemica tam prope ad Buc

D 2 quojum

Comes à
Thurn Vj
ennam ag
greditur.

Expeditiō
nes Boh.

quojanorum stationem sunt applicata, vt sclopetis se contingere haud difficulter potuerint : vnde & singulis diebus ex vtraque parte multi ceciderunt. Octauo etiam Maij propugnaculum, ad aureum tramitem situm, ad custodiēdum Passaviensem transitum, cum magna vtriusque partis strage Bohemi occuparunt, quod tamen ob alimentorum defectum diu non retinuerunt : quod vbi desertum Bucquoius recuperasset, commeatus penuria, quo Budvvisium laboravit, sublata est : exercitus quoque major ex Hungaria, Gallia, Belgio & alijs locis ipsi affluxit : vnde castra in maiorem amplitudinem extendit & 29. Maij assumptis Lauenburgico Saxoniae Principe, Tampirensi & alijs militiae praefectis, cum 5000. ad Nadlitium, vbi praesidium 60. sclopetariorū a Mansfeldio constitutum erat, applicauit. Quo cum potiri Hungari statim non possent, igni accensum totum deformarunt. Inde Tinam promouens Bucquoius, cum 30. Maii quinque equitum Bohemorum turmas sub Mansfeldij imperio militantes comparuisse cognouisset, mille cataphractis equitibus cum magna equitum peditumque externorum manu in insidiis collocatis, solos Hungaros in occursum Bohemis tendere, eosque pugnando ad insidiarum locum pertrahere iussit : At intempestius cataphractorum feruor effecit, vt illis visis equites Mansfeldici ad communitum quendam vicum regressi, cum relicto ibi peditatu suo sese coniunxerint. Videns ergo Bucquoius Behemos instructa acie ad pugnam separare, & disploso quod secum habebant campestri tormento equitatum suum ferire, ab vtroque in eos latere oppugnandos censuit : & Tampirensi cum Hungaris & Germanis sclopetariis a sinistro latere eos aggrediente, ipse cum cataphractis & externis equitibus alijs a dextris in eos mouit : Continuataque est ingens & cruenta pugna ad horas sex, quae mortem multis attulit. Mansfeldius tandem viribus impar, cum subsistere aduersus tantam vim non posset, fuga elapsus vi-

plus vi.

psus vitam 9seruauit. Victoria parta pars militum cum Ringrauiio & officarijs quibusdam in potestatem Bucquoiij delienerunt. Suppellex militaris ferè omnis cum tormento, quo vsi fuerant, & curribus onustis commeatu', intercepta simul fuit, effecitq; strages ista, vt excitato ab Hungaris in vicc Sablotensi incendio, igne simul & ferro Bohemi coangustarentur. Interfectorum numerus incertus fuit, dilapsis præsertim fuga non paucis Mansfeldicis, qui postmodum ex sylvis ad castra redierunt. Mansfeldius Pragam adueniens desertũ se ab Hohenlojo Comite, & expetitur subsidium impetrare non potuisse conquestus est: de quo 6. Iunij scripto se excusauit. Directores verò decimum quemque vsque ad quintum ad arma apprehendenda publicis literis evocarunt, munitiones nouas Pragæ ad Laurentij montem excitarunt, præsidio majori ciuitatem firmarunt, & velocibus equis Turrenses Comitem ex Austria reuocarunt, Bucquoius interea Wittigauiam, Tinam, Lanischium Regi subiugauit: Fronbergensem arcem vi summa expugnauit, diuitiq; præda nobilium & procerum vicinorum, qui eò sua traduxerant, potitus est. Idem accidit Rosenberga oppido, damnaq; incomparabilia primariis dominis Suiofico Malouitio data sunt. Narratur Fronberga & Rosenberga vltra 3000. pecudes abactas, & Budvvisium esse translatas, vbi in minimo valore fuerunt, adeo vt boues 3. vaccæ 8. vel 10. oues 2. grossis emptæ sunt.

Turrensis cognita Mansfeldij clade, & quod á Directoribus revocaretur, Vienna cum exercitu soluit, & per dies aliquot Fischeti commoratur, vbi ad Hungariæ ordines Pofonium missum expectat Tifenbachium: quo cum convenienti promissione confæderationis reuerso, in Bohemiam exercitum reduxit, & Neuhusium 12. Iunii assecutus, Sabislauam ad castra Bohemica tandem deuenit: Sub quod tempus Hungari in Silesios incidentes, eorum 140. cum iactura 300. suorum

rum militum trucidarunt. Bucquojus vero ne tempus frustra consumeret, cum duabus machinis & septendecim equitum peditumque millibus oppidum & arcem Gretsensem 14. Iunij obsedit: Præfectus qui arcem 300. præfidiarijs tenebat: initio fortiter restitit, 80. wallonibus necatis, & 200. graui- ter vulneratis. At sequenti die, videns Hungaros nocte do- lijs aliisque rebus fossas impleuisse, seq; ad resistendum infe- riorem esse, deditioem fecit: & vt pactus erat, armatus, & sarcinis quas efferre poterant onustus cum suis militibus dis- cessit. Inde Bucquojus Weitram progressus oppidum illud dimisso præsidio cum explicato vexillo occupauit, sicq; pa- tefacto in Austriam aditu loca omnia infesta reddidit, & in incolas ferro ac flamma crudeliter sævierunt milites, qui multos ad pecuniam extorquendam suspenderunt, defun- ctos etiam, vt annulis quos in digitis habebant, privarent, e- ruerunt.

Die 28. Iunij Comes Solmensis in 800. Hussaros incidit, eosque in fugam, cæsis 450. comprehensis verò ad 50. vertit, & prædam eximiam recuperavit. Budvvisij verò exortum in- cendium ædificia plurima subuertit.

*Ferdin ad
Comit.
Imp. profi
ciscitur.*

Appropinquauit interea tempus nouo Imperatori eligen- do destinatum. Circa principium ergo Iulij, Ferdinandus rex Vicaria administratione Austriæ Archiduci Leopoldo com- mendata, Vienna Francfurtum iter in greditur. At Leopoldus, vt pacem in vrbe conseruaret, cives omnes inermes reddendos publicato edicto censuit, omniaque arma, hastas, sclopeta, bombardas, cum pilis, plumbo, nitrato puluere in armamentarium civitatis deferri iussit, addita comminatio- ne, si quidquam deputatis, retinuisse quosdam aliquid armo- rum, innotuerit, secus facientes bona pariter & vitam amit- tant. Francfurtum postea ingressi sunt, insigni cum comita- tu & pompa, 10. Iulij Elector Moguntinus & circa vesperam Electoris Saxonix legati, 11. Iulij Electoris Palatini, 12. Electo-

ris Brandenburgici legati. 13. Archiepiscopus & Elector Coloniensis, 15. Elector Treuirensis : Decimo verò octavo rex Ferdinandus. Venerunt quidem ad ista Comitia Ordinum & Directorum Bohemiæ quoque Legati : Verùm cum obtinere non possent, vt locum in vrbe haberent, Hanouïæ subsistentes protestationis literas ad Electorale Collegium missas Moguntinensi Electori exhibendas curarunt : Qui respondit : quod regem Hungariæ & Bohemiæ electum & coronatum Ferdinandum ad electionem noui Imperatoris iuxta tenorem aureæ bullæ vocauerit, se rationem & Deo & omnibus, ad quos res pertineat, suo loco & tempore redditurum : turbis verò in regno Bohemiæ excitatis minime se delectare, imo operam dare cupere, vt facta tandem pace ab interitu regnum illud vindicetur. Petitionem verò de electione suspendenda, vel ordinibus Bohemiæ ad eam vocandis, ita comparatam putare, vt solus de ea decernere non possit, nec si Regi Ferdinando petitio illa innotescat, ad pacem regno conciliandam facere quidquam posse.

Bohemiæ Proceres & Directores ad 13. Iulij conuocarant omnes Ordines, deliberaturi de rebus necessarijs ad statum regni pertinentibus : quo in conventu instaurata est inter Bohemos, Morauos, Silesios & Lusatos confœderatio, & 100. articuli conformati & præstito solenniter Iuramento acceptati & confirmati sunt, quibus quæ Regi Ordinibus cuiuscunque conditionis tam Ecclesiasticis quam politicis conueniant, & seruanda vel agenda sint comprehenduntur.

Pluuiæ mense Iulio continuæ ferè fuerunt, quæ durarunt in Augustum, & frumento ac aliis ex terra nascentibus multum damni attulerunt. Aquæ etiam intumuerunt in Misnia, & Thuringia, quæ incolas passim afflixerunt.

Exeunte Iulio Hungari bismille, qui direptionibus & incendiis loca omnia in Bohemia & Austria infesta reddiderunt, cum prædæ satis acquisivissent, domum clam se subdu-

centes

centes reversi sunt. Eos secutus alius Hungaricus præfectus Sumadius cum 500. quos ducebat Hungaris Bucquojus Wallensteinij equitibus cathapractis id negotii dedit, ut ad transitum eos expectarent: Quo facto adventantes fugatiq; & omni præda exuti fuerunt.

Eodem tempore, Turrensis instructa insigni ad Lomnitiunacie, in qua equitum turmæ 47. peditum verò vexillationes 48. numeratæ sunt, ad pugnam cum Bucquojis faciendam sese exhibuit. At ille pugnam detrectavit, & in castris studiose se continuit. Itaque insultu facto in Tinense oppidum, eoque intercepto, furorem in præsidarios milites effudit, eosque cum finitimis omnibus trucidavit. Adventantes paulo post, ignaros istius rei, Bucquojis officarios omnes intercept, & custodiæ mandari curavit.

Factum etiam sub Comitibus Francofurtanis, quod equites 500. quos Philippus Comes Lichsolmensis in regis Ferdinandi gratiam in Belgio & Colonia conscripserat, & contra Bohemos ducere constituerat, à Marchione Onoltzbacensi ad Aichstadium fusi fugatique sint: Quod factum, ut pacem & tranquillitatem turbans, cui sese uniti opponere consenserunt, Elector Palatinus literis ad Ferdinandum datis excusat, & ne in posterum simile quid tentent monet.

*Comitia
de Imp.
creando
habita.*

In principio Augusti, Electoribus in curia à Magistratu Francofurtano & ante curiam à civibus præsidariisque juramentum præstitutum est: Et sessiones quæ circa finem Julij ceptæ, interruptæ verò sunt, quòd legati ab instructione sua nihil remitterent, & ad principales ipsorum Palatinum & Saxoniam Electores nuncios mittendi essent, Rege interim cum Coloniensi Electore ad Hassiæ Landgravium Ludovicum concedentibus & venationibus sese reficientibus, continuatæ deinde fuerunt, donec tandem electioni in templo perficiendæ 18. Augusti destinaretur. Illo mane ad pulsum majoris Campanæ Electores cum Rege in curiam curribus

bus delati, indeq; horam circiter octavam habitu Electorali pulcerrime induti ad templum Sanct. Bartholomæi equis vecti sunt, ubi in clave tapetibus preciosissimis auro & argento nitentibus concesserunt, & peractis sacris Ferdinandum ^{F. r d i n a n} Regem elegerunt, electum produxerunt, inq; supremum ^{d u s i n . R e} Chori altare omnibus spectandum collocarunt. Inde in thea- ^{g e m e g} trum ad introitum Chori in templo excitatum perductus ^{I m p . e l i g i} publicè proclamatus est, & post factam à spectatoribus acclamationem decantatumq; Divi Ambrosij hymnum campanæ pulsatae & majora tormēta in valle dispersa sunt. Hinc templo egressi conscensis equis ad aulam Regis vecti sunt, missisq; qui Aquisgrano & Noriberga sceptrum, coronam & ornatum reliquum afferrent, præparatio ad coronationem facta est. ^{t u r .}

Eodem tempore Moraviæ Ordines Prinnæ congregati, confœderationem cum Bohemis, Silesijs & Lusatijs confir- ^{R e s M o r a} marunt; & præter milites, quos in præsidiis habuerunt, ad- ^{v i a .} huc 1500. dato illis præfecto Rudolpho à Schleinitz, conscripserunt: proscriptos, ob perfidè administratam Rempubli- cam, provinciâ perpetuò excluderunt; bonaque ipsorum, nec non alia Ecclesiastica Episcoporum, Monachorum & Monalium provisione facta Abbatibus, prælatis & reliquis de sufficienti sustentatione, Fisco transmiserunt. In arma quoq; diligenter est inquisitum, eaq; civibus subditisq; omnib. Catholicis exemplo Viennensium, sunt erepta: tandēq; suspecti de fide officarij remoti, aliiq; ex Protestantium numero illis sunt surrogati Tampirius verò 8. equitum peditumq; millib. regionem ingressus, munitam arcem Josvicensem occupavit, Lichtensteinumq; intercipere, hocq; ipso in universam regionē transitum sibi aperire cogitavit: sed prævenientes Moraviæ Ordines istam arcē in potestatē suam vindicantā firmissimo præsidio munierūt. Hoc viso auxilijs Hūgaricis eidē adveniētibus, impetum in Tifenbachij ditionē fecit, ibi-
 E que pa-

que pagis nonnullis direptis & incensis ad Niclasburgum venit; unde cum haud exigua suorum clade reiectus est. Exacerbati ergo Moravi cum 3500. in eum mouent, eundemque 5. Augusti, ad Vistricum cum equitibus peditibusque 9000. subsistentemprehendunt, & coorta pugna ex loci angustis in patentem campum, interfectis haud paucis, euocant. Etsi verò Moravos longe se pauciores pugnam profecuturos non putauit, ardentibus tamen furore animis in eum iruunt, pugnam ad sex horas continuant, & duobus fere equitum peditumque millibus cæsis in fugam cogunt. Quo in prælio Comes de Monte Cuculi & Saxo Lauenburgicus Princeps alijque multi lethaliter vulnerati sunt. Ex Moravis 300. tantummodo occubuerunt, totidemque fere vulnerati sunt.

Bucquoius vero in Bohemia arcem Vechinensem occupauit, subiectumque oppidum & 15. pagos incendio vastavit, Inde Pissecam progressus suburbium igne delevit, & misso, ad Hacquium duarum in vrbe vexillationum præfectum tubicine, excedere ipsum & deditioem sibi facere iussit. At recusante & se pro vrbe ad extremum vitæ spiritum pugnatum respondente, Bucquojus ira & furore accensus insultum fieri, 4. simul locis curavit, & superior tandem factus urbem armata manu occupavit, & in omnes promiscuè defæviit, præfecto in crucem acto & primæ gladio percusso, vrbs ipsa direpta & incendio vastata est miserabiliter.

Decimo nono Augusti Proceres Bohemiæ præsentibus Moraviæ, Silesiæ & Lusatiaë vtriusque legatis consilium à matutino tempore ad horam vsque tertiam pomeridianam januis clausis habuerunt, in quo Ferdinandum regem regno planè abdicandum & nunquam admittendum, sed alium eligendum esse decreverunt. & populus 24. & 25. Augusti ad preces pro impetrando à Deo novo rege admonitus ex suggestis fuit. Vicesimo sexto verò Augusti habito iterum conuentu, post preces & cantiones sacras peractas Fridericum

V. Ele-

V. Electorem Palat. in regnum Bohemiæ elegerunt & proclamaverunt, votis quidem ex procerum statu 36. ex equestribus 91. concurrentibus & civitatibus ferè omnibus consentientibus. Postero die cum Moraviæ, Silesiæ Lusatiaq; legatorum vota ad eundem Palatinum Electorem directa fuisse intelligerent, de cantato Ambrosij hymno campanisq; pulsis, tormentorum displensione facta & quintum repetita, legati, qui ad Electorem de electione ista referrent, à regno & tribus prædictis provincijs sunt deputati.

TRigesimo Augusti Stylo Veteri dictus Ferdinandus ^{Res Boh.} ^{et Ungar} ^{ha.} Ungariæ & Bohemiæ Rex, Archidux Austriæ, &c. postquam pridie ejus diei Legati Norimbergenses cum Diademate, Sceptro & ornatu Imperiali reliquo Francofurtum adveniant, Romanorum Imperator solemniter, in æde D. Bartholomæo sacra, coronatus est.

Paulò post Gabriel Bethlen acceptis à Directoribus Regni Bohemiæ literis cum ingenti exercitu, quem ad Claudio-polim collegerat, in superiorem Ungariam expeditionem fecit, octodecim tormētis majoribus secum adsumptis, quinto Septembris Cassoviam urbem suæ potestatis fecit, quæ Illi & Regni Ungariæ statibus Juramentum præstitit, quam ob irruptionem insperatam Iesuitæ & Ecclesiastici alij, quod Monachos & Capitulares quàm plurimos evirari, magnamque passim petulantiam à milite exerceri viderent, è regione istâ magno sese numero subdixerunt.

Interim Bucquojus, Rosenbergam Arcem, quæ Baronis Swambergij est, occupavit, & Tampirensis Lundeburgum in Moravia expugnavit. Contrà Bohemi Bechinie Arcem cum Oppido, & Municipium Tavn. ad Wltawam situm, quorum illud dictus Bucquojus 13. hoc verò 18. Augusti interceperat, partim vi, partim deditione, recuperarunt:

Eodem mense Septembri, nomine Bethleni, Transylvaniæ

Principis, Cassovia nimirum rebus omnibus ad nutum compositis, & plerisque Ciuitatibus Metallicis iurejurando ipsi devinctis Setschius & Redejus Præfecti illius cum octodecim armatorum millium manu & tormentis duodecim maioribus progressi, loca plurima, atque inter alia Villecam etiam propugnaculum fortissimum, inde Vaccium, Tirnaviam, Nitriam, Novigradum, Posingam, tandemque & Neuheuselium occuparunt.

Mense Octobri ingens pugna inter Bucquojum & Bohemos, ac confœderatos alios ad pontem Viennensem facta, qua multi utrinque perierunt; Bethlenus autem interea Posonium urbem, qua Diadema Hungaricum & reliqua Regni insignia adservantur, deditioe cepit, inibi que in templo Cathedrali 20. Octobr. concionem haberi curavit.

Triduo post Ernestus Comes Mansfeldius Winterburgum, Pragaditium & Wodniany occupavit.

Ultimo demum Octobris Fridericus V. Elector Palatinus Rhenicum conjugem Pragam ingressus. Quarto Novembris Stylô Novô in Bohemiæ regem solemniter coronatus est, istumque Actum Septimo statim dicti mensis die Coronatio Reginae subsequuta.

*Fridericus
Palatinus
in Bohemia,
Regem eligi
sur & coronatur.*

Princeps Condæus in Gallia à Rege captivus hætenus detentus, libertati pristinae jam restitutus II. Novem. magnam cum Principum ac procerum gratulatione Lutetiam Parisiorum redit.

Eodem hoc mense Conventus à Protestantibus & Vnitis Electoribus, Principibus & statibus Imperij Norimbergæ celebratus fuit, quò & Fridericus Palatinus nuper coronatus Bohemiæ Rex advenit, & solemnem Pompam à Conunitis ante Urbem exceptus est, ipse etiam Imperator Ioannem Georgium, Comitem ab Hohenzollern istuc ablegavit. Pariratione quoque Principes Catholici Herpiboli conveniunt.

Sub

Sub finem Novembris Bohemi, Ebersdorffio occupato, jungentibus nimirum Bethleno & Turrense Comite copias suas, Viennam, quo Cæsar non ita pridem advenerat, ingens-que in Vrbe, propter confluentes illuc magnò numero ex vicinis Oppidis & Pagis colonos, Annonæ caritas erat, obfederunt.

Nec multò post Mansfeldius Comes Piffecam urbem, nò ita pridem à Bucquoio vi & armis captam, recuperavit, eam-que miserè desolatam reparari, firmissimoq; præsidio muniri curavit.

Nuptias celebrarunt: Ulricus, Dux Stetinenfis Pomeranus, Episcopus Cammimensis, &c. cum Hedwige, F. Henrici-Julij, Ducis Brunsvic. & Lunæburg. Dominicâ Esto mihi Wulffenbyti.

Ernestus, Dux Crozensis & Arschotanus cum Anna, Burgislai XIII. Ducis Pomeranię F. 4. Augusti in arce Stetinenfi.

Natus est Friderico V. Elect. Palat. Rhen. nuper coronato Regi Bohemię Filius 17. Decembris Praga, qui anno sequente ultimò Martij primum baptifatus, & Rupertus vocatus erat.

Obierunt: Anna, Friderici II. Danię Regis F. Jacobi Magnę Britannię Regis conjunx 18. Martij.

Joannes-Carolus Archid. Austr. Cæsar. Majest. F. natus major Græcij, 16. Decembr.

Joannes-Sigismundus Marchio & Elector Brandenburgicus &c. 23. Decembr. Colonia ad Spream, cui in dignitate Septemvirali successit Georgius-Gulielmus.

ANNVS CHRISTI 1620.

Sub initium hujus anni Comitia Pofonij habita fuerunt, in quibus Hungari cum Bohemis alijsq; Provincijs incorporatis foedus incunt, quod Pragæ postmodum ab Ordinibus 25. Apr. juramento confirmatum fuit.

Paulò post induciæ, inter Cæsarem & Bethlenum, Transylvania Principem vsq; ad festum Michaelis hujus anni duraturæ factæ sunt.

F. Sice.

Sigefridus Collonitius diuturna captivitate à Cæsare liberatus est 17. Ian.

Casus Tragicus.

Tragicus casus: Suborta contentione inter duos Barones Bohemos, Henricum Slawatam de Chlum & Kossemberck, & Henricum Otta de Wartenberg, ad fines, de hæreditate defuncti Baronis Joannis Alberti Smirfiscij, cujus sororem vterq; in matrimonio habebat, in eumq; finem Commissarijs Regiis ad arcem Gitfinensem dirimendæ litis ergò ablegatis, proq; Slawatâ sententiam ferentibus, Wartenbergij Uxor, vtpote cuius maritus Pragam citatus, Arresto ibitum detinebatur, oppido & arce cedere jussa, ex indignatione milites præfidiarios ad sui defensionem incitavit, quorum vnus pulverem tormentarium ex conclavi, in quo plurima istius pulveris vascula recondita erant, allaturus, cum forte fortunâ per incuriam funiculum ignitum pulveri aliquanto propius admovisset, Arx tota cum omnibus, quotquot in illa erant, in momento quasi disjecta, penitusq; subversa fuit, subjecto insuper oppido, non exiguo damno illato.

Fœdus inter Angliæ & Galliæ Reges restauratum, præsentibus multis Principibus sub Februar. principium.

Eodem ferè tempore Cosacci ad quater mille è Polonia venientes in Moraviam irruerunt, indeq; in Austriam contenderunt: quo in itinere oppida multa & pagos, atq; inter alia Meseritium, vbi tum nuptiæ à primario quodam ex Procerū ordine viro celebrabantur, diripuerunt, splendida inibi prædâ atque ornatu potiti, quem Viennæ postmodum vili admodum precio vendiderunt. Bohemis interim à Bucquojo ad Langelosam in Austria cæsis.

Annus jubilaus.

Vigesimo tertio Februarij Annus jubilæus iterum disponente & jubente Pontifice Rom. Paulo V. Viennæ Austriæ pro salute Ferdinandi Cæsaris, & pacis religionisq; Catholicæ in Imperio Romano conservatione celebratus est, vbi

fulgura & tonitrua insolito planè modo magnâ omnium cum consternatione visa atq; audita sunt.

Quatriduo post Friderico Elect. Palatino, tanquam regi suo à statibus & proceribus Silesiacis Vratislaviæ juramentum præstitutum fuit.

Quarto Martij dux Lunæburgensis telonium Hamburgenſe cum adjacentibus ei terris occupat, quod negotium postea mense Augusto Botsenburgi, interveniente Ioanne Alberto, Duce Megapolitano, aliorumq; principum legatis, compositum est.

Die 10. & 11. Martij Bucquoius & Tampirensis ingens cum Christiano principe Anhaltino prælium commisit, in quo plurimi ex utraque parte perierunt.

Hoc ipso tempore Conventus Electoralis Mulhusij habitus fuit, in quo Moguntinus, Coloniensis & Saxonix Electores præſentes fuere, Trevirensis verò, ut & Maximilianus, Bavariæ Dux. legatos miserunt, tandem etiam & Ludovicus, Hassiæ Landgravius advenit, unde ad Fridericum regem, & incorporatarum provinciarum Ordines, aliosq; Imperij Status & Civitates, diversas dederunt literas.

Conventus Mulhusinus.

Sub initium Aprilis, Comite Bucquoio cladem nuperam vindicante, Bohemi graviter cæsi sunt, ita ut præter Marschallum Baronem Leonardum Colonnam à Fels, multi Nobiles & exercitum militum præfecti, ad sexaginta desiderati, fuerint: Occupata simul à Cæsarianis Rastenburgâ, arce fortissimâ, ad quam Austriaci bona sua preciosiora cum vxoribus & liberis deportarant. Non multò tamen post Cosacci Silesiam infestantes, partim trucidati, partim aquis suffocati, partim strangulati perierunt.

Vigesimo octavo Aprilis Friderici, tum Bohemix regis filii primogenitus Fridericus-Heinricus, successor in regno designatus est.

Ineunte Majo Valones & Cosacci multa per inferiorem

Au-

Austriam loca rapinis, incendijs, honestarum virginum ac matronarum constuprationibus, fœdissimisq; libidinibus infesta reddiderunt, nullo omnino religionis vel Catholicæ, vel Evangelicæ discrimine habito: Horum aliquot Mareccam occupârunt, verum paulopost à Bohemis ad Gellersdorffium cæsi, illorumq; nongenti circiter à Moravis ad paludem Mefericensem trucidati, & viginti septem captiui Vratislaviam missi, & in crucem acti sunt.

Circa hoc tempus ingens Balæna in Pomeraniâ ad litus maris Balthici projecta fuit, non procul à Iulino 12. Maij.

*Ulmenfis
Conuen-
tus.*

Interea Conventus vnitorum Principum & Statuum Imperij Ulmæ celebratus, cui Ioachimus Ernestus Marchio Brandenburgicus Onolsbacensis, Iohannes Fridericus Dux Wirtemb. & Gulielmus Landgr. Hassiæ præsentés interfuerunt.

Octavo Iunij Baro à Landaw Angerensem vicum & Mareccensem civitatem, partim cæsis, partim captis militibus Cæsarianis, recuperavit, Mansfeldius itidem Guldencronense Monasterium & Taynense oppidum interceptit.

Hoc ipso mense maxima tempestas Cassellis & alibi in viciniâ exorta, vbi tanta grandinum atque imbrorum copia, vt propè Dona werdam à gradine, ova gallinacea & anserina etiam magnitudine æquante, pecora in pascuis & pisces in Danubio quamplurimi necati fuerint.

*Tumultus
Rheticus.*

Potestantes Tiranij in valle Tellinâ 9. Iulij in templo sacra facientes ex improvise oppressi, nullâq; sexus, ætatis aut dignitatis habita ratione - etiam Verbi ministri, miserè jugulati sunt, nonnullis etiam pulvere tormentario ori indito, & postmodum accenso.

Austriæ Inferioris Ordines iuramentum fidelitatis Cæsari 13. Iulij præstant. Idem facere coguntur Status superioris Austriæ, Maximiliano, Bavarix Duce, vi & armis illos cogente.

Eodem ferè tempore Volturena, Grifonum Regio, à Catholicis occupatur.

Vigesimo quinto Augusti Bethlenus Neosolij, ad instantiam legati Turcici, Hungariæ rex electus, & à Palatino proclamatus fuit.

Sequenti die Ambrosius Spinola, qui cum viginti quinque; *Spinola ad equitum peditumque; millibus ex Belgio veniens, nomine Cæ-* *ventus.* faris sub initium istius mensis in Germaniam expeditionem fecerat, Rheno ad Confluentiam urbem trajecto, ex territorio Moguntinensi movens, Unitorum Principum castris ad Oppenheimum magis magisque appropinquando, Crucenacum, Alcenam, & inde Oppenheimum sexto die Sept. intercept.

Interim Bucquojus Hornam deditione cepit, milites autem ejus à Moravis rursus fusi, & ad internecionem usque cæsi.

In principio mensis Septembris, Budissinum, Lusatia civitas, ab Electore Saxoniae Joanne Georgio, validissima obsidione cincta, tandemque licet oppidani impetum magna virtute sustinerent, fortiterque propellerent, crebriore tormentorum displisione & indefinente globorum ardentium in urbem projectione, 25. dicti mensis die occupata est.

*Budissina
obsidio.*

Sub idem tempus Henricus Fridericus, Comes Nassovius, Mauritij principis Auriaci frater, expeditionem in Palatinatum fecit, ut loca ista ab Hispanorum insultibus tueretur, & Pfaffmutzium propugnaculum fortissimum in medio Rheni, in Insula Kranpenwerth dicta, inter Bonnam & Colonia sita, extructum est.

Interea, Spinola progrediente, Gundersblumensis vicus, qui Comitum Leiningensium est, ab Hispanis totus igne deletus, Baccara cum itidem & Caubium cum arce Palatina, in Rheno sita, occupata sunt.

Bavariæ quoque Dux in Bohemia regnum expeditionem faciens

faciens, cum Bucquojo copias suas conjunxit, atque ille quidem Wodniany, Pragaditium & inde Kal. Octob. etiam Pifsecam secunda quidem vice recuperavit.

Veneti per legatum fœdus, superiorib. annis cum Ordinibus Belgij initum instaurant.

Eodem hoc tempore, Poloni à Turcis, magno numero ad nonaginta millia in Walachiam irruptionem facientibus, omnes ferè, præter paucos, qui fuga sibi consuluerant, trucidati & inter eos etiam Magnus Regni Cancellarius, cujus abscissum caput, Constantinopolim transmissum.

Spinola interim multa, Mosellam versus Oppida, Arces & pagos, vtpote Kirchbergam, Trarbacum, Beilsteinium, Castelnaunam, Simmeram, Beckelheimiũ, Monfingam, Kirnam, Odoenheimium, Sobernheimium, Strombergam, Dauanam, Disbodobergam, Odenbachium, Ravengisburgum, Rockenhufam, item Landsbergam, Franckensteinium & Meisenheimium, quæ ad Bipontinensem ditionem spectant, & alia occupavit.

*Pugna
Pragensis.*

Octavo die Novembris St. Novo, cruenta admodum pugna non procul ab vrbe Praga in monte Albo propè Vivariũ Stellæ inter Cæsareos & Bohemos commissa, in qua, præter cæfos ac dissipatos à Bohemorum parte milites, tormenta omnia, & quicquid ad instauranda denuò castra necessarium, perierunt, victoriam obtinente, Pragamque occupante Maximiliano Bavariæ duce, ipso e contra noviter electo rege, Friderico Palatino Vratislaviam cum coniuge & liberis, rebusque, quas ob festinationem convasare poterat, concedente.

Paulopost Bucquouscu in milite Cæsareo in Moraviam progrediens Iglaviam, Trebitsum, Znamum, & alia loca interceptit.

Particulare tum Diluvium in Montisferratensi agro subortum, ex Tanari & Bormi fluviorum inundatione, quo pagin-

gi integri, cum multis ædificijs everfi: hominesq; non pauci, cum copiosa pecorum multitudine aquis obruti atque suffocati interierunt.

Decimo quarto dicti mēsis die Elector Saxonix Forstiam inferioris Lusatix oppidum posteaq; Lubaviam & Gubenam urbem suæ potestatis fecit.

Sequenti die 15. Sigismundus III. Poloniae rex á sicario Piekarsky vulneratur, qui tamen sceleris istius pœnas luens, 27. ejusdem mensis, dextra prius tota & sinistra manus amputatis digitis, quatuor equis discerptus, tandemque igne combustus est, cineribus in auram dispersis ac disseminatis.

Hispani 18. Decembris Fridberga vrbe Imperiali intercepta, hortos, vineasq; ob hyemis inclementiam, & frigoris, ^{Fridberga occupata.} cuius infueti erant, vehementiam, funditus everterunt, gravissimas contributiones ab oppidis & pagis exegerunt.

Sub finem Decembris Turcicus Imperator pacem cum Persis confirmans, vires suas omnes ex Asia in Europam convertere decrevit.

Nuptias celebravit Gustavus Adolphus, Sueciae rex, cum Maria Eleonora, filia Ioannis Sigismundi Elect. Brand. & c. 26. Novembr. Stockholmia.

Nati sunt: Fridericus Gulielmus, filius primogenitus Georgij Gulielmi, March. & Elect. Brandeb. & c. 6. Februarij.

Ernestus Bugislaus, Ernesti Ducis Croyensis & Arschotani filius, 26. Augusti.

Mauritius, Friderici Palatini filius, 27. Decembris. Custrini in Marchia baptisatus 6. Ian. anni sequentis.

Obierunt: Ernestus, Dux Croyensis & Arschotanus, & c. 7. Octobris. Oppenheimij.

Franciscus, Dux Stetini Pomeraniae 27. Novembr. Improlis.

Ernestus Ludovicus, Dux inferioris Saxoniae, &c. in vico Aschavia, quatuor miliaribus Lintzio distante, à rusticis occisus.

Gulielmus Ludovicus, Comes Nassaviae, Dillenbergius, &c. Gubernator Frisiae, ultimo Maij Leovardia, postquam Ordinibus confœderatarum provinciarum per 40. annos salutarem & laudabilem operam præstiterat.

Carolus du Vall, Comes Tampirus, &c. ad Posonum globo tormentario percussus occubuit, ibiq; sepultus.

Conradus Deckerus, Theolog. Doct. Heidelberg.

A N N V S C H R I S T I . 1621.

*Proscri-
ptio Pala-
tini & a-
liorum.*

Fridericus, Elector Palatinus Rheni, à Cæsare 29. Ianuarij, proscribitur, paucisque post diebus Ioannes Georgius Marchio Brandenburgicus Iægendorffensis, Christianus Senior, Princeps Anhaltinus, & Georgius Fridericus, Comes Hohelohus.

Jesuitæ, ante biennium ab Ordinibus regni Bohemiae proscripsi, in Collegium suum Pragæ iterum introducuntur: E contra Iacobus Rehingius, Wolffgangi Gulielmi principis Neoburgici Concionator aulicus, à Iesuitarum partibus deficiens, Protestantium religionem amplectitur, & Tubingæ scripto publico defectionis suæ causas edit.

Interim Moravi, Silesij, & Egerani ciues ad obedientiam Cæsaris redierunt.

Hispani itidem in Wetteravia vltiores progressus faciendo Gelnhusam & Wetzlarum Imperialia oppida vna cum arce Muntzembergeni potestatis suæ fecerunt, gravissimis insuper exactionibus incolas prementes.

Intensissimum hoc integro ferè mense frigus fuit, vt etiam pars quædam maris Balthici valida glacie obducta fuerit.

Decimo nono Februarij Hispani Braunfelsium Comitum Sol-

Solmensis arcem interceperunt. Postrid. verò Kal. Martij Osthofium & Westhofium territorij Wormatiensis oppida igne deleta sunt.

Ita Colonia, eodem ferè tempore, exorto in Iesuitarum templo incendio, totum istud cum Sacrario & Bibliotheca instructissima in cineres redactum fuit.

Hoc ipso mense Rhetia ab Hispanorum oppressione mirabiliter vindicata est, trucidato nimirum Pompejo Planta cum alijs quibusdam conjurationis istius fociis ac complicibus.

Induciæ ante duodecennium inter Philippum Hispaniæ regem, & vnitarum Provinciarum Belgicarum Ordines initæ, hoc tempore finitæ fuerunt, cum autem easdem Albertus, Archidux Austriæ per Cancellarium Petrum Peckium instaurari rursus ac prorogari expeteret, dicti Ordines omnino recusarunt.

Sub initium Aprilis Pacis tractatio inter Spinolam & Unitos Imperij Principes ac Status facta, hiq; exercitum suum è Palatinatu abduxerunt.

Decimo septimo Aprilis tres Proditores Hagæ-Comitis, supplicio adfecti, eorumq; bona fisco adjudicata fuerunt, quorum primarius Iacobus Mommius, ad Mosam & Wahlam Præfectus.

Pilsna fortissima Bohæmiæ vrbs anno abhinc tertio ab *Pilsna occupata.* Ernesto Comite Mansfeldio, vi & armis occupata, jam à Cæsarianis, deditio recuperata; Falckenavia autem ab Electore Saxonæ, Elbogia à Bavarix Duce, Worlicka & Clingenberga à Balthasare de Maradas interceptæ fuerunt.

Mense Majo vnitarum Provinciarum in Belgio Ordines societatem Americanæ navigationis instituerunt.

Bucquojus, secundo Maij Posonium urbem, Arcem verò die septimo, pauloq; post San-Georgio prius, Posinga, Modera, Ronzersdorffio, aliisq; locis igne deletis, Tirnaviam & Altenburgum suæ potestatis fecit.

Interea Galliarum rex expeditionem cōtra Reformatos in proprio suo regno suscipiens, Samuram, Niortum Tovar-
fium, Fanum D. Maxentij & Sancti Ioannis de Angelo oc-
cupavit.

Sub finem Maij, initium Exsequutionis Cæsareæ factum est Oenoponti, vbi Fridericus Baro Tieffenbachius gladio percussus: Die autem vndecimo mensis sequentis, Stylo ve-
teri Pragæ de viginti septem Personis illustribus, Nobilibus atque alijs Primarijs supplicium sumptum, præter eos, qui partim virgis cæsi, partim in exilium profligati fuerunt, adpa-
rentibus eadem die ante horam quintam matutinam duabus in cœlo Iridibus divaricatim positis.

Eodem tempore Daniæ rex Ernesto principi Schauenbur-
gico bellum intulit, vnde damnum emergens in territorio Pinnenbergico potissimum ad quadringenta millia æstima-
tum fuit, præter quinquaginta millia, quæ in specie Regi Princeps ad persolvendum militibus stipendium numerare coactus est.

In principio mensis Iulij Tartari à Polonis in Walachia ad duodecim millia maxima ex parte cæsi dissipati, inq; captivitatem abducti sunt.

Circa idem tempus Regum aliquot & Principum Indiæ Orientalis filij, vt in religione Christiana, artibus q; liberalibus instituerentur, in Hollandiam missi fuere.

*Baurius
occumbit*

Decimo quarto Iulij Bavarici à Mansfeldicis fusi, biduo-
que post denuò pertinacissime invicem dimicarunt per duo-
decim ferè horas integras, vbi inter alios etiã ex parte Ducis Bavarix, Tribunus militum Baurius occubuit, cuius postea cadaver in itinere Bambergam versus, vbi sepeliendum erat, cum omni suppellectile & pecunia interceptum, tandem tamen solum corpus, ad instatiam Episcopi, redditum, & Her-
bipoli tumultatum fuit.

Interim Neuheuselium, vltra duos menses à Bucquoio
Comi-

Comite obsessum, eo nimirum trucidato, ab obsidione iterum liberatum fuit.

Die 27. Iulij Academia Renthelensis in Comitatu Schaumburgico aperta fuit, quam Cæsar Privilegiis & immunitatibus, Princeps verò Ernestus amplissimis redditibus dotavit. *Academia Renthelensis.*

Sub initium Augusti Rex Galliarum Pontacum, Bergeracum, San-Fojum & Cleracum occupavit, cuius mœnia destruxit, Procuratore Regio cum tribus alijs ibidem suspensio, pauloque post Montalbanum validissima obsidione cinxit.

Eodem mense Academia Argentinensis ab Imperatore nova Privilegia, creandi videlicet omnium facultatum Doctores, Licentiatos Baccalaureos & Poetas Laureatos obtinuit, quæ die 14. solemniter promulgata sunt.

Circa idem tempus Tirnavia à Gabriele Bethleno, recuperata est, Posonium insuper, frustra tamen, obsessum; Hungari autem adeò grassati sunt, vt Viennæ vna nocte viginti incendia diversis in locis visa fuerint, colonis & agricolis undique ad urbem confluentibus, & gemitu planctuq; plateas implentibus. Ita & Budianus non minorem crudelitatem exercuit, præterquam enim quod exercitum Comitis de Colalto fudit, rapinis atq; flammis loca omnia infesta reddidit, & quatuordecim quoq; incendia vno eodemq; tempore excitavit, vt pagi centum & viginti tum subuersi dicerentur. *Res Hung.*

Steinium inter Wormatiam & Ginsheimium situm Castellum fortissimum & quasi Clavis totius ferè Palatinatus, 22. Augusti ab Hispanis occupatum fuit.

Triduo post Arminianorum motus in Belgio, Roterodami & Amstelrodami recrudescunt.

Decimo sexto Septembris Slusam Flandriæ urbem munitissimam Præfectus Antverpiensis obsidione cingere cœpit, sed aggeribus passim perfossis, agrisque inundatis, re infecta di-

ta discedere, urbemq; relinquere coactus est, ingenti Balæna, triginta octo vlnas longa, paulò ante in Hollandia inter Hogam & Gravesendam capta.

Eodem tempore Reinhardus Titfortus Castelli Ridenfis præfectus, gladio percussus, quod propugnaculum istud, cum non exiguo arcis Iuliacensis damno, Hispanorum autem & Signifer exilio mulctati sunt.

Exped.
Bavar.

Interea Dux Bavarix Palatinatum superiorem ingressus, Chamium primo, indeque Neoburgum, Waldmunchium, Bleisteinium, Cammathum, Prestatum, Eichenbacum, Gravenwerdam, aliaque loca occupavit: Hispani autem in Palatinatu inferiore sub imperio Ferdinandi, de Cerdowa Steinio egressi Bês-heimium, Heppenheimium, Veinheimium, arcem Strarckenburgensem, Lutram, totumque tractum interceperunt Montanum.

Vigesimo Septembris Gabriel Bethlenus, una cum Ioanne Georgio, Marchione, Brandenburgico Iægerndorffensi, Tirnavia movens Moraviam versus iter suscepit, Scalitzium & Strafnitium suæ potestatis fecit.

Quinto die post Georgius Gulielmus, Elector Brandenburgicus splendide Warfaviam ingressus, & à Sigismundo III, Polonorum Rege Feudo Prutenico liberalissime donatus fuit.

Rex Svetiæ Gustavus Adolphus capta Riga, ulterius progrediendo, Livoniam & maximam Curlandiæ partem in fidem accepit.

Vigesimo septimo Septembris Franckenthalium ab Hispanis obsideri ceptum, verum ab obsidione ista, quæ ad decimum quartum usque Octobris perduravit, adventante illic Mansfeldio ex superiore Palatinatu, liberatum est.

Francken-
enthalium
obsesum.

Mense sequenti Pax inter Turcas & Polonos, post cruentum istud prælium, tandem instaurata fuit.

Decimo octavo Octobris Thaborensis civitas in Bohemia

mia

mia diu jam obsessa in Don Balthasar de Maradas potestatem venit.

Amberga tum & Neomarchium, superioris Palatinatus vrbes Bavariæ Duci iuramentum præstiterunt, idem & Tilio factum in inferiori Palatinatu, qui nomine prædicti Ducis Ladenburgium, Mosbacum, Eberbacum, Steinacum, Schönnaviam & alia loca occupavit.

Pariratione Uratislavie, nomine Cæsaris, Iohanni Georgio, Electori Saxonie, 24. Octobris, à Principibus atq; Ordinibus Silesiæ iuramentum præstitum: Jægerndorffium interim à Barone Hannibale à Dohna occupatum.

Lutetiæ hoc tempore ingens exortum fuit incendium, quo ultra ducenta & quinquaginta conflagrarunt domicilia.

Decimo octavo Novembris Christianus Brunsvicensis, Episcopus Halberstadiensis Moguntinensem Electoratum ingressus, 22. dicti mensis die Amœneburgum intercepit.

*Expedi-
Brunsvi-
censis*

Montalbanum in Gallia, post aliquot mensium obsidionem, jam liberatum. Sacerdotes & Concionatores Evangelici Pragâ & toto Bohemiæ regno excluduntur.

Mansfeldius interim Episcopatum Spirenses infestavit, & inde occupata Hagena Alsatiam miserè devastavit.

Obierunt: Paulus V. Pontifex Romanus 28. Ianuarij, ætatis suæ 68. cui successit Gregorius XV. antea Ludovicus de Bononia dictus.

Philippus III. Hispaniarum rex, 31. Martij inter horam 9. & 10. matutinam.

Albertus, Archidux Austriæ 13. Julij inter horam 11. & 12. noctis, Bruxellis.

N. Forgatius Palatinus Ungariæ.

Carolus de Mongaval, Comes Bucquojus, &c. ad Neuheuselium, sedecim acceptis vulneribus, & lancea confossus occubuit, 10. Julij.

G Rober-



Robertus Bellarminus, Cardinalis 17. Septembris, in Iesuitarum templo sepultus.

Emmericus Turzo, cui Stanislaus Turzo successit.

Joannes Opsopæus, Medicinæ Professor Heidelbergæ.

ANNVS CHRISTI. 1622.

Sub initium hujus anni Mansfeldius Comes tertium ab Imperatore Ferdinando II. banni fulmine notatus ac proscriptus, Pacis itidem tractatio inter Cæsarem & Bethlenum suscepta fuit.

In Palatinatu autem Bavarici progredientes Utisbogensensem arcem, Elfantium, Venningam, Wimpffam, & alia loca sui juris fecerunt.

Brunsvicensis expeditionis.

Eodem tempore, Christianus Dux Brunsvicensis & Lunæburgensis, Episcopus Halberstadiensis Westphaliam ingressus, Lippiam, Sufatum, Lipsbringam, Brackelium, aliaque loca, & tandem totam ferè Diœcesin Paterbornensem cum ipsa vrbe occupavit, ingenti thesauro è templo Cathedrali, cum eiusdem Patrono S. Liborio toto argenteo, secum abrepto, vnde postmodum Imperiales novos, vna facie manum ex nube protensam & gladio armatam, addito hoc Symbolo, Tout avec Dieu, hoc est, Omnia cum DEO: altera Nomen suum cum hac inscriptione: Gottes freund / der Pfaffen Feind / exhibentes, aliosq; nummos cudi, & inter milites distribui curavit.

Juliacum, mense Septembri anni superioris fortissima ab Henrico Comite Montensi obsidione cinctum, jam dedicatione facta, occupatum est.

Die Conversionis Pauli tres Soles & Portentum in cœlo vt & 8. Februarij Paraselinæ, cum cruce atra, per medium Lunæ corpus transeunte, visæ sunt Heidelbergæ.

Sub idem ferè tempus fratres Societatis Jesu, & alij ca-

tho-

tholicæ religionis ordines ex Unitis Belgij Provinciis excluduntur, & parentes, qui filios suos sub Iesuitarum disciplina haberent, domum eos revocare jubentur.

Mansfeldius interim post deformatam rapinis atque incendiis Wan senaviam, munita prius Hagenoa vrbe, cum exercitu in Spirenses Episcopatum reversus Meidenburgensem arcem 4. Aprilis occupavit. Contra Tillius Comes, vt facilius ei Heidelbergam versus pateret aditus, Minnebergam, Nuslochium, Leimium, Rorbacum, Sinsheimium, Nictogemundam & alia loca suæ potestatis fecit, Hilgsteinio insuper & Hilsbacō interceptis ac fœde deformatis; Mansfeldij simul turmis aliquot ad Wingartum fufis fugatisq; qui tamen vires recolligens, Rhenumq; ad Rusheimiū traiciens factō per prædictum Episcopatum Spirenses itinere, Minsgelheimioq; accenso Bavaricos in occursum sibi venientes ita excepit, vt ad duo millia eorum cæsi ac vulnerati, tormenta quatuor cum multis vexillis & captivi quamplurimi Manheimium abducti fuerint; Pauloq; post Sinsheimium & Eppingam recuperavit, & Ladeburgum interceptit. Christianus autem Brunsvicensis immensam pecuniæ summam à Monasteriensibus, Susatensibus & alijs Westphalicarum vrbium incolis extorsit.

Vigesimo sexto die mensis ejusdem Aprilis, Georgius Fridericus, Marchio Badensis cum Tillio Comite per integrum diem acriter quidem, sed minus feliciter, pugnavit, ita, vt ab ytraque parte ad quinquies mille perierint, Marchiaci autē, præterquam quòd in medio conflictu currus aliquot, pulvere nitrato onusti, tormentorum diplosione per incuriam ignem concipientes, castris illorum non leve damnum, equis nimirum hominibusq; ad duo jugera disiectis, intulerant, ad internecionem ferè cæsi ac dissipati fuerint, occiso inter alios Magno, Duce Wirtembergico, ipso tamen Marchione cum duobus filijs salvo evadente.

*Mansfeld
die expedi
tio.*

*Prælium
inter Cas
& Durla.
censum.*

G 2 Eo.



Eodem tempore Galliarum Rex oppida aliquot, quæ parens ejus Henricus IV. Reformatis inhabitanda dederat, sibi restitui voluit, quæ partim vi, partim deditioe cepit; Manhurto direpto, & post incolas trucidatos, mulieres verò & virgines turpiter violatas, igne accenso, Cleracum etiam, superiori anno mense Augusto mœnibus nudatum, flamma penitus delevit.

Interea novi motus in Rhetia oborti, Grifones enim & Confœderati alij ibidem adversus Hispanos & Archiducis Leopoldi milites insurgentes, primarios quosque transitus ad Richenaviam, Furstenaviam & Haldensteinium, interceperunt, tandem etiam Meyensfeldiam 23. Maij & Curiam 6. Junij occuparunt.

Eodem mense Majo Mansfeldius Darmstadium urbem occupavit, ipsumq; Principem Ludovicum, Hassiæ Landgravium captivum abduxit, militibus interim vicinos pagos & oppida, regionemq; omnem circumjacentem pervagantibus ac diripientibus.

*Prælium
inter Cas.
& Brun
suicen
sem.*

Sub initium mensis Junij Christianus Brunsvicensis Dux Hæstiam ad Mœnum sitam urbem intercepit, milites autem ejus, incendiarij potius nuncupandi, Eschbornam, Vrsellas, Sultzbacum, Niddam & alia loca in ipso Pentecostes festo, tristi admodum spectaculo accenderunt, verum paulopost, vindictam divinam experti, à Bavaricis eos insequentibus partim cæsi, partim in Mœno submersi ac suffocati, inter quos & Ioannes Casimirus, Comes Leonsteinius fuit, ipso Duce fluvium in loco vadoso transeunte, Hæstiaq; à Bavaricis recuperata.

*Landgra-
vius di-
missus.*

Kalendis Julij, Hassiæ Landgravius, certis tamen conditionibus, dimissus, Darmstadium reversus: Mansfeldius autem cum Christiano Brunsvicensi in Alfatiam movens, oppida & pagos quamplurimos, ad Episcopum Argentoratensis jurisdictione pertinentes, yti Geifelsheimium, Aneltsheimium

mium, Waltshheimium, Ergensheimium, Dolheimium, Andlaviam & Rosenheimium, in quod milites irruentes crudelissimè desævierunt, nec mulierculis nec infantibus parcentes, incendio deformavit.

Decimo sexto Iulij Stylo veteri ELEONORA, Cæ-^{Imperas.} far, Majestatis conjunx, Pofonij, Diademate Regio, Trent-^{In Reg.} schino prius, quo á Bethleno translatum fuerat, rursus allato, ^{Hung.co} coronata^{coronata} solempni ritu in Vngariæ Reginam coronata est.

Hoc ipso tempore Marcus Antonius de Dominis Archiepiscopus Spalatenfis, ex Anglia, quo An. Chr. 1616. mense Novembri ad Iacobum, magnæ Britanniæ regem, simulata religionis Pontificiæ mutatione, concesserat, iterum discedens, Romam profectus est.

Decimo octavo Iulij Spinola Steinbergam deditioe ce-^{Res Belgi} pit, simulq; Bergopsomam obsidipne cinxit. Ita & mense se-^{ca.} quenti Leopoldus Archidux Austriæ Hagenoam & Spiram recuperavit. Wormatiam itidem novo introducto præsidio, veteriq; exauctorato intercepit.

Mense Augusto Mansfeldius conjunctis cum Brunsvi-^{Pralium} censi copijs Galliæ fines rransiens in Belgium iter molitus ^{inter Cæ} est, quod vbi Don Goncales de Cordua rescivit, per Lutzel- ^{& Brun} burgensem provinciam in regionem Leodiensem ad Mosam ^{suic.} properavit, transitum illi præclusurus, verum ad pagum Fleru in Brabantia concurrentes acerrimè invicem pugnarunt, vt Christianns Brunsvicensis etiam vulneratus, manuque sinistra privatus, sed vi magna tamen perumpens, Bredam primo, tandemque in Hollandiam magno cum Incolarum adplausu advenerit, 29. Augsti, Stylo veteri.

Heydelberga vrbs & sedes Electoralis 16. Septembris ^{Heydelber} Styli Nov. armata manu expugnata fuit, civesque miserabi- ^{ga expug} liter prostrati, trucidati, direptione ad tertium vsque diem ^{nata.} continuata, & Missæ officio 18. dicti mensis die templo S. Spiritus ibidem celebrato.

Tertio Octobris Spinola cum exercitu suo Bergopsoma, adventante Mansfeldio ex pugna ad Fleru commissa, discessit, & vrbs ab obsidione liberata est, brevique post Mauritius, princeps Auraicus Steinbergam quoque recuperavit,

Eodem mense post varios in Gallia regno excitatos motus intestinos, plurimasq; reformatorum vrbes a rege interceptas, partim etiam incendio deletas, pax tandem in castris ad Montispessulum constituta, & rex urbem splendide ingressus est.

Vigesimo quarto dicti mensis die Tillius Manheimium deditione cepit, quo facto Franckenthalium denuo tentavit, sed frustra. Pragæ interim Lutheranorum templa occluduntur, & Augustanæ confessionis Theologi profligantur, Academiaque Patribus societatis Iesu traditur, Verbi ministris inde ad Saxoniam Electorem copiose confugientibus.

Vigesimo sexto Octobris Glacensis vrbs a Cæsareis deditione occupata est.

Nuptie.
Imp.

Nuptias secundas celebravit Ferdinandus II, Romanor. Imperator, Vngar. & Bohem. rex, &c. cum Eleonora, Vincētij Gonzagæ, Mantuæ & Montisferrati Ducis filia, 4. Februarij, Oenoponti.

Nati sunt: Loyfa Hollandina, filia Friderici Palatini, 18. Aprilis, Hagæ Comitum.

Heinricus, filius Iohannis Georgij, Electoris Saxoniam, &c. 17. Iunij, Dresdæ.

Obierunt: Ernestus Comes Schaumburgicus, &c. 17. Ian.

Magnus, Dux Wirtembergicus, in conflictu ad Wimpfham occubuit 25. Apr.

Osmannus, Achmatis fil. Turcatum Imperator, mantili suffocatus 22. Iunij, ejusq; in locum Patruus Mustaffa successus, quem antea idem Osmannus carceri incluserat.

Iohannes - Casimirus, Comes Leonsteinius in Mœno suffocatus perijt, 10. Iunij Styl, Ver.

Fride-

Fridericus Dux Saxoniae Vinariensis, in praelio inter Hispanos & Mansfeldicos ad pagum Fleru in Brabantia commisso, oppetijt 19. Augusti styl. vet.

Henricus Comes Ortenburgicus &c. ibidem occubuit. 19. Aug.

Ulricus Dux Pomeraniae &c. ultimo Octobris ^{ὀπαις.}

Sophia, Vidua Christiani I. Ducis & Electoris Saxoniae &c. 7. Dec.

David Paræus Theolog. D. & Professor in Academia Heydelbergensi Septuagenarius 15. Junij.

Dionysius Gotofredus Ictus & Professor Heydelbergensis, Argentinae Exul.

Petrus de Spina, Aulae Palatinae Archiatros.

ANNVS CHSISTI.

1623.

Ferdinandus II. Imperator sub initium hujus anni Conventum Electorum Ratisbonae celebravit.

Pfaffmutium propugnaculum in medio Rheni Anno 1620: a ^B Hollandis extructum, superiore vero aestate ab Hispanicis obsessum, Postridie KL. Ianuarij, ipso die S. Stephani (vnde nomen postea ei inditum) deditioe facta, occupatum est.

Hoc ipso tempore Bibliotheca Heydelbergensis, tota ferè Europa celeberrima, Romam delata fuit.

Interim Mansfeldius Orientalem Frisiam ingressus, intolerabiles subditis exactiones imposuit, ejusq; miles magnam inibi petulantiam, matronas, virginesq; honestas in maritorum & parentum conspectu stuprando, omniaq; direptionibus infesta reddendo, exercuit.

Mense Februario ingens in Hollandia adversus Principem Auracum Mauritium, ejusq; fratrem Henricum Fridericum detecta fuit, conspiratio ^{Conspiratio Belgica.} cujus auctor primarius

rius Henricus, Daniel Slatius Theologus, & decem alij cō-
prehensi, custodiæq; traditi, inter quos & Reinhardus, Barn-
feldij filius, qui omnes postea, diversis tamen temporibus ca-
pitis supplicio adfecti, Slati quidem caput palo adfixum, cor-
pusq; rotæ impositum; Viri autem illorum, vti Cornelius
Gertsen, David Cornwinder & Hadrianus à Diecsi, post de-
collationem in quatuor partes dissecti, totidemq; locis su-
spensi, reliqui gladio percussi ac sepulti sunt.

*Bavarius
Dux S.
Imp. Ele
ctor inau-
guratur.*

Vigesimo - quinto dicti mensis Februarij die à Cæsare
Ferdinando II. Maximilianus, Bavariæ Dux, S. Romani Im-
perij Archidapifer, & Elector Palatinus solemniter inaugu-
ratus est Ratisbonæ: Vbi etiam 12. Martij idem Imperator
Ioannem Georgium, Comitem Hohenzollerensem, Imperij
Principem declaravit ac constituit.

Carolus, Jacobi, Magnæ Britannię Regis, F. Walliæ Prin-
ceps, postquam sub initium mensis Martij, conscensa navi
fretum prius trajciens, per Galliam in Hispaniam, matrimo-
nialis negotij causa, iter ingressus fuerat, 17. ejusdem mensis
die Matridum cum comitatu suo salvus advenit, inibiq; libe-
ralissimè habitus, & magni precij muneribus donatus, ad 9,
Septembris vsq; commoratus est, quo inde discedens, 16. O-
ctobris Londinum rursus adpulit.

*Francken-
thalium
Hispanis
traditum*

Franckenthalium, cum expugnatu admodum difficile
videbatur, Infanti Hispaniarum Isabellæ in Sequestratio-
nem 19. Martii traditum: Et Marburgensis Civitas atq; Aca-
demia, quam Mauritius Hassiæ Landgr. hætenus, ex testa-
mento Ludovici Senioris Landgravii, solus possederat, pa-
trueli eius Ludovico Darmstadiensi, per sententiam Cæsaris,
KL. Aprilibus Ratisbonæ latam, adjudicata fuit, quam ille
etiam anno sequenti sub finem mensis Martii in possessionem
accepit.

Berga, totius Norwegiæ Emporium, hoc tempore totum
ferè flammis absumtum est, vt & Slebuscum, Iuliacensis agri
oppi-

oppidum, ab Hispanis militibus, cum præsidium admittere recusaret, in cineres redactum, incolis partim gladio, partim igne deletis.

Ordines Vnitarum Provinciarum in Belgio interim fœdus cum Tuncetanis & Algierensibus, à quorum navibus suæ non parum damni hæctenus perceperant, incunt, factumque prius istud A. C. 1612, instaurant,

Sub initium Iunij, Superior & Inferior Lusatia à Cæsare *Lusatia in Cas. st dem con cedit.* Saxonix Electore Ioã-Georgio per Legatos attribuitur: Eodem tempore Naves Hollandicæ Urbem S. Angeli in Gallia & Meccaum in Orientali India, Lusitanorum classe dissipata, occuparunt.

Eodem mense, & quidem nocte festum D. Ioannis præcedente ingens & formidabilis Argentinx tempestas existit, & turris pulveraria fulmine tacta, fabri tamen cuiusdam lignarij accurrentis opera, & singulari Dei Omnipotentis gratia incendium sedatum fuit; Ita & multa passim cruenta prodigia hac æstate apparuerunt; in Pojebradensi Bohemix ditione, puteus in sanguinem totus quasi versus per aliquot dies: alibi parietes, scamna & mensæ sanguinem sudare visæ sunt.

Quinto Augusti Christiani Brunsvicensis Exercitus à *Clades Brunf.* Tillio ingentem cladem accepit, quam plurimis crudelissimè necatis multiq; personis Illustribus, in primis Friderico Altenburgensi, & Gulielmo Vinariensi, & Saxonix Ducibus, Ioanne-Philippo Rhingravio, & Hermano Franco, generali commissario, aliisque Comitibus & Baronibus captis.

Mense Septembri tanta Annonæ Caritas in Silesia & Moravia fuit, agris segete destitutis, vt modius vnicus tritici triginta, Siliginis autem viginti Imperialibus venierit, famemq; & peste quamplurimi perierint: Contra in Alsatia iuxta Obernburghaimense Oppidum, ingens farinæ cumulus

H exte-

ra in parenti campo prorupit, quam homines egeni ad cōficiendos panes, pulmenta q̄; pro infantibus inde paranda cōvenientem, magna secum copia domum asportarunt.

^{ca.} Lippia 6. Septembris à Ioanne Comite Ritbergensi, nomine Regis Hispaniarum & Palatini Neoburgici obsidione cincta, 24. tandem Octobris deditioe capta est: Cuius exemplum Hervordia, Bilefeldia & alia Ravensburgensis Comitatus Ciuitates sequutæ, seq̄; vltro Palatino Neoburgensi commiserunt.

Circa hoc tempus Mustaffa, Imperator Turcicus, qui in necati ex fratre nepotis Osmanni locum superiori anno electus fuerat, lubens sese Imperio abdicauit, illudq̄; Amurathi, præfati Osmanni fratri, se decim annos nato tradidit: Alije cū, cum post Osmanni cædem annum circiter vnum regnasset, denuo custodiæ mancipatum scribunt. (Vid. Archontologiam Cosmicam Ioannis-Ludovici Gotofredi.)

Vigesimo-sexto Octobris Londini in Anglia in Orationis Hispanici ædibus à Patre Societ. Iesu Druerio concio habita cui cum amplius quadringenti Pontificij cum multis Reformatis interessent, nimio pondere contignatio fracta, & nonaginta circiter homines, vna cum ipso Concionatore Iesuita, oppressi interierunt.

Die octava mensis sequentis Hægera, Comitatus Nassovij Dillenburgeris oppidum, incendio oborto, trium horarum spatio, totum in cineres conversum miserè perijt, cum pridie globus igneus cælo delapsus, Tubingæ, Argentorati, Ulmæ, Spiræ & in Electoratu Bavariæ, conspectus fuerit, vti id ipsum Isaacus Habrechtus, Med. D. publico scripto testatus est. Ita & 22. eiusdem mensis Londini ancillæ cuiusdam incuria multa ædificia flammis absumpta sunt.

Sporenberga Comitatus Rauenspurgensis Arx, 28. Novembris itidem per deditioem ab Hispanis occupata, Grithusium verò, Clivensis ditionis oppidum, direptum ac spoliatum

rum; & Effena, Montium civitas, præsidium recipere detre-
ctans, à Don Cordua expugnata est.

Reformati hoc tempore in Gallia liberi religionis suæ ex-
ertij confirmationem, misso ad Regem Legato, impetra-
runt:

In oppidulo Bohemiæ dimidio à Guttenberga miliari
sito, utriusq; sexus homines, in ipso Nativitatis Christi festo,
ad audiendam concionem sacram congregati, à militibus ex
improvviso oppressi, pane Eucharistico & Calice in terram
fuso, pedibusq; conculcato, & mulierculis quibusdam in ipso
templo constupratis, vestibus exuti, alijsq; ornamentis fæde
spoliati sunt.

Nati sunt: Ludovicus, Filius Friderici Palatini &c. 21.
Augusti Hagæ Comitis.

Margareta-Maria Catharina F. Philippi IV. Cognom.
Dominici Victoris, Hispaniarum Regis, &c. Novemb. die D.
Catharinæ, quæ tamen brevi post iterum denata.

Obierunt: Gregorius XV. Pontif. Romanus. 8. Julij, in
cuius locum successit Urbanus IX. antea Mapheus Barba-
rinus dictus, Florentinus, Episcopus Spoletanus in Hetru-
ria, &c. Electus 7. Augusti. Coronatus autem 28. Septembris
in festo D. Michaelis Archangeli.

Georgius, Comes Nassaviæ Dillenbergenfis &c. Ioannis
Senioris Fil. 9. Aug.

Antonius Priulus Dux Venetus, 12. Augusti, cui successit
Franciscus Contareus 3. Septembris.

Lotharius, Archiepiscopus & Elector Trevirensis 7. Se-
ptembris, cui surrogatus est Philippus-Christophorus, Epi-
scopus Spirensis.

Joannes Medius, Comes Nassaviensis, Dillenbergicus
&c. Georgij frater, 27. Sept.

Clara-Maria, Bugislai XIII. Ducis Stetini Pomer. &c. Fi-
lia, Augusti Iunioris, Ducis Brunsvic. & Luneb. &c. Conjux
prima.

Erdmudis Brandenburgica, Iohannis Georgii Electoris F. Io-
annis Friderici Ducis Stetini Pomer. & c. Vidua. 13. Nou.

Philippus Mornæus, Nobilis Gallus, scriptis Theologicis
clarus.

ANNI CHRISTI 1624.

*Iesuitæ
proscripti
ex Anglia.*

Sub ingressum huius anni Iesuitæ & Ecclesiastici alii di-
uersorum Ordinum, qui, durante tractatione matrimonii
inter Carolum, Walix Principem, & Sereniss. Hispaniæ In-
fantem, magno numero in Angliam confluxerant, publico
Regis edicto intra 40. dies uniuerso Regno excedere iuben-
tur, quemadmodum etiam ex Hybernia, mandato Regis,
mense sequenti Februario proscripti sunt.

Nouus ille Ordo Equestris de Sancta militia, ante quin-
quennium Viennæ institutus, eodem mense Februario Ro-
mæ à Pontifice confirmatus est, & Equites à Conceptione
Mariæ Virginis nomen acceperunt.

Tartari hoc ipso mense, quadraginta millium armato-
rum numero in finibus Moldauicis non procul à Caminec-
zio convenientes irruptionem in Poloniam iterum facturi,
sed strenuè excepti, ingentique accepta clade fusi fugatique
sunt.

Ingens terræmotus in oppido quodam Italiæ Argenta,
duodecim à Ferraria miliaribus distante, 21. Martij obortus
est, quo centum & tringinta ædificia, tria templa cum insigni
turri & septem portis corruerunt, multis alijs insuper ædibus
disruptis, & viginti quinque hominibus, præter vulneratos
misereque deformatos quamplurimos, oppressis atque ex-
tinctis. Pagus itidem in Alpibus Cassadorenis, Itali-
am versus sitis, cum trecentis hominibus eodem hoc tempo-
re nive obrutus ac coopertus est.

Concionatoribus Evangelicis ægrotos consolandi & Sa-
cramentum Cænæ Dominicæ sub vtraq; specie administran-
di

di gratia, Viennam ingredi, vti & ejusdem religionis Exercitium vniuersis Regni Bohemiæ & Marchionatus Moraviæ subditis, Mandato Cæsareo, eodem mense Martio Viennæ & Pragæ publicè promulgato, interdictum fuit.

Sub finem hujus mensis Ludovicus Hassiæ Landgravius Marpurgum, quod per sententiam Cæsaris anno superiore ei adjudicatum fuerat, ingressus, possessionem adprehendit, institutaq; reformatione, Academiam Giessenam illuc transtulit.

Eodem tempore Suevici Circuli Conventus Ulmæ habitus, & præsentibus ibi multorum tam Episcoporum, quam Principum, Comitum, Baronum, Civitatumq; Imperialium Legatis, de modo irruptioni, Bethleni cum Turcarum Tartarorumq; copijs in Ungariam factæ, resistendi deliberatum, tandemq; expetitum pro viginti mensibus stipendium, Cæsari contribuendum, promissum fuit.

*Ulmensis
conuentus*

Marcus-Antonius de Dominis Archiepiscopus Spalatenfis, quem supra Anno 1622. ex Anglia Romam profectum diximus, ibidem mense Aprili, licet ad Ecclesiæ Catholicæ gremium, facta revocatione, se iterum contulisset, ad mandatum tamen Pontificis, in Castellum S. Angeli captiuus abductus, vbi etiam sub finem hujus anni mortuus, cadaver autem, propter Apostasiam, Vulcano consecratum fuit.

Sequens mensis Majus frequentioribus deflagrationibus admodum formidabilis fuit; nam Quarto ejusdem die Moguntię intra decimam & vndecimam noctis horam incendio suborto multa passim ædificia & diversoria publica conflagraverunt: Idem infortunium biduo post, ipso nimirum Ascensionis Dominicę festo, Vsingæ, quæ Comitatus Nassovici Sarbruccensis oppidum est, proh dolor! obtigit, in ea siquidem inter horrenda tonitrua centum & octo ædificia, exceptis horreis atque stabulis, accensa, cum omni Supellectile, & multis pecoribus perierunt. Brevi post, die nimirum octa-

vo, ingens tempeftas Ratisbonæ exorta, vt extremum diem imminere omnes putarent; fulmine enim tacta Turris Pulveraria, quæ plus quam duoenti nitrati pulveris centenarij adſervati erant, maximoq; cum fragore diſjecta, irreparabile vrbis damnum intulit; Propugnaculum quippe & moenia in foſſam ciuitatis proſtrata, Monafterium S. Emerani, Templum Obermonaſterienſe & Collegium Ieſuitarum, præter ducenta civium ædificia everſa, & quatuor homines trucidati fuerunt, ne fornace quidem & fenestra vlla in vrbe ſalva atque incolumi relictis. Quin & Ilmenavia, Thuringiæ oppidum, totum ferè cum hominibus non paucis, infantibus item & Puerperis aliquot, exuſtum fuit, multis itidē Clumbaci & alijs in locis ædificij igne deletis, varijsq; in cœlo conſpectis prodigijs.

Eadem die octava Maij Pax inter Cæſarem & Gabrielem Betlenum Viennæ inita eſt.

Nono Maij & diebus ſequentibus Sinus Braſilienſis de Todos los Santos, hoc eſt Omnium Sanctorum cum Vrbe S. Salvatoris à Claſſe Hollandica occupatus; Duce Claſſis Domino à Dort, qui poſtmodum, extra urbem fortè animi gratia paucis comitatu obambulans, à paganis iſtis, ſagittis confectus, & caput ei amputatum.

Fridericus Saxonie Dux Altëburgic⁹ Chriſtianus Senior, Princeps Anhaltinus, à Cæſare ſupplices in gratiam recepti. Ille 13. Maij. Hic 11. Junij.

Denuo Ieſuitæ & Catholicæ Religioni addicti omnes ex Regno Angliæ, quemadmodum menſe Februario pariter in Hybernia factum, proſcribuntur, vt ante quintum Junij diem exeant.

Nono Junij Coſacci Neoſtadium, Vngariæ oppidum, diripuerunt, fœminasq; & puellas ad templum maioris ſecuritatis ergò confugientes, in ſacro iſto loco (proh ſcelus!) pro libitu ſtuprarunt. Tartari quoq; Poloniæ fines
rurus

turfus ingressi, oppida & pagos devastarunt, segetesq; in agris accenderunt, sed à supervenientib. Polonis ad internecionem vsq; catervatim cæsi sunt, vt campus cadaverib. ad quatuor miliaria impletus fuerit.

Vigesimo ejusdem mensis die Bremæ etiam, maxima tempestate suborta, quadraginta vascula pulvere tormentario referta & in Pomerio juxta Portam Orientalem adservata, fulmine tacta, ignem cõceperunt, quo superior turris pars disjecta, quingenta & amplius ædificia tectis privata, fenestraq; quamplurimæ dissipatæ, hominesq; decem interempti fuerunt.

Sub finem Junij Sleusingæ in Comitatu Hennenbergico Conventus Electoralis habitus, cui Joannes Sueiccardus, Archiepiscopus Moguntinus & Septemvir, Joannes-Georgius Elector Saxonix &c. Joannes-Casimirus Dux Saxonix, &c. Ludovicus Hassiæ Landgravius, & Antonius Henricus Comes Schwarzenburgius, aliorumq; Principum Legati interfuerunt; In eo Maximilianus Bavariæ Dux ac Elector, qui Tillium Comitem suo nomine illuc ablegaverat, in Collegium Septemvirale receptus est.

In initio Augusti Henricus Comes Montensis, Monderbergam Arcem & Cliviam civitatem deditione occupavit, quam vtramq; tamen mense sequenti Henricus - Fridericus Princeps Auraicus recuperavit.

Vigesimo-sexto Augusti Marchio Spinola Bredam Brabantix Urbem, quam A. C. 1590. 4. Martij Mauritius Nassovius, Princeps Auraicus &c. singulari quodam Stratagemate occupaverat, obsidione validissima cingere cœpit.

Eodem tempore Pfortzheimium a Bavaricis post duodecim horarum reluctantationem, deditione captum: Septimo autem Septembris Templum Lutheranorum, tempore Rudolphi II. augustissime mem. Imperatoris Pragæ in minori oppido exstructum, Carmelitis Monachis, pauloq; post aliud in vrbe Veteri Iesuitis traditum, ab ijsq; repurgatum ac consecratum fuit.

Decimo - septimo dicti mensis die Gulielmus Saxonix Dux Vinariensis, à Cæsare in gratiam receptus, pristinxque libertati ex captivitate sua restitutus est.

Circa idem tempus Gallix & Anglix Reges, item Respubl. Veneta & Dux Sabaudix novam vnionem siue confederationem inierunt.

Interim mandato Cæsaris Pastores Evangelici provincia superioris Austriax egredi iubentur, quod etiam ad præfinitum terminum factum est, vbi videlicet magno numero Cõcionatores & Ludimagistri cum vxoribus & liberis miserè plorantes conscensis navigijs, Danubium trajciendo, Imperium versus concesserunt.

Sub finem Octobris ingens inter Turcas & Tartaros cõmissum prælium, Turcaxq; à Tartaris devicti ac profligati, q; videlicet post Tartarorum Regis obitum filius natus secundus regnum occupaverat, primogenitus autem id ipsum Turcarum ope atque auxilio recuperare conatus fuerat. Ita & Pontificis Rom. ac Magni Ducis Florentiæ naves famosissimum istum Pyratam Alcairenses, Calefat Allar nuncupatum, in mari Mediterraneo fortissimè debellarunt, vt ipse met nayem suam Prætoriam pulvere tormentario incendere necessum habuerit.

Interea Rhæti, ope Regis Galliarum Veltlini recuperandi initiũ facientes, Steygam, Meyensfeldum & alia loca Sueviam versus occuparunt, Provincialibus cæsis, quorum vni tanquam proditori ferro candente collum perforarunt.

Mense sequenti Electoris Brandenburgici nomine, Dux belli Quadius Vnnam, Marcanæ Provinciæ Urbem, vt & Lunam, Camenamque occupavit, contra Palatino-Neoburgicus Provincialis Vicarius, Siebergius Hærdanam Domum Brandenburgicis eripuit.

Vigesima-prima Novembris Generalis Gallix Regis Marchio de Ceuure in Rhætia pergens Veltlinum ingressus, Ar-

Arcem Pio domo dictam, Tyrantum & Sonderham, totius Provinciae Metropolim, sui juris fecit,

Eodem mense vehementissima in mari suborta tempestate navis Anglica, qua Ernestus Mansfeldius, Ulissinga solvens, in Angliam tendebat, cum centum & trigintaquatuor personis, inter quos & Conradus, comes Witgensteinius, impedimentis omnibus, vasis argenteis, duabusq; cistulis auro refertis, submersa perijt: Ipso tamen Mansfeldio, beneficio parvae cujusdam navis Hollandicae, quam fore fortuna ibi repertam conscenderat, cum praecipuis quibusdam Ministris bellicis, rebusq; secretioribus evadente.

Decimo Novembris in profesto D. Martini Episcopi Rugenwaldia, Pomeraniae Urbs tota ferè incendio perijt.

Vigesimo-primo Decembris Urbanus VIII. Pontif. Rom. Anni Iubilaei initium fecit, factaq; processione solempni ad Basilicam D. Petri, consuetis inibi ceremonijs portam Sacram aperuit.

Nati sunt: Eduardus, Friderici Palatini Filius, 6. Octobris Hagae-Comitis.

Ioannes Sigismundus II. Georgij Gulielmi Elect. Brandeb. F. 25. Julij. qui 30. Octobris ejusdem anni in ipsis Baptismi solemnibus rursus denatus.

Obierunt: Ioannes Georgius, Marchio Brandenburgicus, Iægrndorffensis &c. Postrid. KL. Martij Leobusij (Germanis *Leutsch*) in Comitatu Czepusensi superioris Vngariae Caschovia sepultus 20. ejusdem mensis die.

Henricus Lotharingiae & Barri Dux. 30. Julij.

Franciscus Conterenus, Dux Venetus 6. Dec. cui successit Ioannes Cornarus Procurator D. Marci septuagenarius.

Ludovicus, Friderici Palatini F. 24. Decemb. Hagae Comit. mitis.

Carolus, Archidux Austriae, Imp. Ferdinandi II, Frater,
I Magi-

Magister Ordinis Teutonici, Episcopus Vratislaviensis & Brixienfis &c. Madriti in Hispania 28. Decembris h.e. die Innocentium Puerorum.

Conradus, Comes Witgensteinius, in Oceano Germanico, Vlissinga in Angliam trajiciens.

Marcus-Antonius de Dominis, Archiepiscopus Spalatenfis, Romæ in custodia, vbi propter Apostasiam detentus fuerat hætenus, 19. Decembris: biduò post autem cadaver ejus in Campo Florum, vno cum libris quibusdam ab ipso scriptis, combustum est, cineribus in Tyberim dispersis.

A N N V S C H R I S T I 1625.

Res Galli
ca.

Sub initium hujus anni Regis Galliarum Dux bellicus Marchio de Ceure Comitatum Bormiensem in Valle Teli- na, Tyrolensem Comitatum versus situm, tanquam singula- rem aditum in Germaniam iterum recuperavit, pauloq; post Arcem firmissimam, Novam Franciam dictam, contra Funē- tiam munitionem exstrui curavit.

Interea Hollandi Gocham urbē, Thoma Pacq; Locum te- nente in primis sub nomine amici, noctu mœnia conscenden- te, & excubitores nonnullos trucidante, occuparunt, paucis- que post diebus Arcem quoq; militari manu interceperunt.

In principio Februarij Galli in Rhætia progredientes, Cla- vennam urbem, & sub ejusdem mensis finem, Arcem ei adia- centem suæ potestatis fecerunt. Rhotomagi autem in Gallia ficarius, qui Regem bicipiti cultro necare voluerat, vivus rotæ supplicio, adfectus, posteaq; vna cum famulo laqueo suf- focato, combustus est.

Eodem tempore Hollando-Brandenburgici milites Ge- resheimium non procul à Dusseldorpio situm Oppidulum hostiliter invaserunt, ac diripuerunt quorum quinquaginta postea à Neoburgicis capti eorumq; novendecim suspensi, & sex, alijs in terrorem, gladio percussi sunt.

Duodecimo dicti mensis die Dux bellicus Brandēburgicus, nomine Genthuis Sufatum Urbem occupavit, in eaq; præter

tormenta &munitiones bellicas, sexaginta Imperialium milia & 4000. Coronator, aliamq; prædā fatis amplam accepit.

Hoc ipso mense aquarum inundationes in Pomerania passim & alibi ingens damnum dederunt, multis etiam, in portu Stralesundensi, vt & Lubicæ & Hamburgi, Nauibus, partim conuassatis, partim etiam ventorum vi disiectis ac penitus submersis.

Nova interim Italiam versus expeditio à Rege Galliarum & Duce Sabaudia suscepta fuit, cuius Dux Franciscus de Bone, Dux de Diguières, Regni Francia Cōnestabilis, constitutus, Is hoc tempore Nizam della Paglia, vtpote præcipuum aliquem Mediolanum & Genuam versus aditum, breui post Castel-Novo, Arcem munitissimam interceptit. Marchio aut de Ceuure Rivam oppidum una cum Arce obsidione cinxit.

Vndecimo Aprilis Galli Genuensium exercitum vndique circumseptum fuderunt, sex acceptis tormentis bellicis, & quatuordecim vexillis, ipsoq; Hispanorum Generali Thoma Caraciola Neapolitano, Ludouico Quasco, Mareschallo Campi, Stéphano, Spinola, multisq; Capitaneis, Equitū Tribunis & Signiferis, aliisq; ex præcipua nobilitate viris, captiuis secum adductis & Turinum transmissis, Cui nimirum pugna ipsemet Dux Sabaudia interfuit, qui cum copiis suis ulterius progrediendo, Arcem fortissimam Ottaglio, Bochetā, Cassonam & Gaviā occupauit, vbi duodecim rursus tormentis potitus est.

Vigesimo-secundo Aprilis Dynastia Hernaldensis, vbi incolæ exercitium Religionis Evangelicæ habuerant, aliiq; ex Vrbe Vienna hætenus conciones auditum iverant, Helmhardo Iorgero Baroni adempta, & fisco Cæsareo per Comissarios adiudicata fuit, Concionatoribus absq; vlla mora loco cedere iussis.

24. eiusdem mensis die Gubernator Sabaudicus, cui Niza commissa, Bennam Genuensium Oppidum subegit, illicque quatuordecim machinas bellicas, & sexaginta pulveris

tor,

tormentarij centenarios repertos, in suam potestatem rede-
git. E contra Genuenses Onegliam, à Sabaudis trecento-
rum militum præsidio munitam, armata manu occuparunt,
majore præfidiariorum parte trucidata; Quam tamen Vi-
ctor-Amadæus, Sabaudia Ducis Filius, paulò post recepit,
novumq; Genuensium præsidium talionis jure similiter ne-
cari curavit.

Eodem hoc mense Legatus Reipubl. Venetæ Simon Cõ-
tarenus Constantinopolim ad Imp. Turcicum missus, ab eo
non tantum pacem perpetuam, sed etiam opem & auxilium,
si hostiliter fortasse ab alijs infestarentur, obtinuit.

Sub finem mensis Aprilis Sinum Brasiliensem de Todos
los Santos, vna cum vrbe S. Salvatoris, superiore anno ab
Hollandis occupatum, Hispani recuperarunt.

Exsequia
Britanni
ca.

Septimo Maij Londini in Anglia Exsequiæ Magnæ Bri-
tanniæ Regis Iacobi, solemnibus adhibitis ceremonijs, cele-
bratæ sunt.

Decimo-quarto Maij Christianus IV. Daniæ Rex, post-
quam paulò antè Inferioris Saxoniae Circuli generalis Dux
electus fuerat, causas præparationis bellicæ Cæsari per lite-
ras indicavit.

Hoc ipso mense Majo Pax inter Cæsarem & Turcam re-
novata, certisq; articulis stabilita ac confirmata fuit.

Breda Urbs, q̄ A. C. 1590. 4. Martij Mauritius Nassovi-
us Princeps Auraicus artificioso quodam Strategemate, na-
vi scilicet cespites in urbem ferente, militib. autem in eadem
absconditis, occupaverat, postrid. KL. Junij facta deditio-
ne ab Hispanis recuperata, præsidioque triduo post egrediente,
Senatus Catholicus inibi constitutus est.

Tertio Junij Ludovicus Hassiæ Landgravius Academi-
am Marpurgensem, ante biennium à Cæsare per sententiam
adjudicatam solemnibus adhibitis ceremonijs, in Procerum
Ordinumque Provincialium præsentia, reformavit, in locum

Pro-

Professorum quorundam discedentium, alijs ex Univer-
sitate Gieffenà substitutis.

Interea Dux bellicus Ordinum Confœderatorum Bel-
gij Genthius Hervordiam & Bilefeldiam civitates Comita-
tus Ravenspurgensis, Anno 1623. Hispaniarum Regis nomi-
ne à Ioanne Ritbergense Comite occupatas, recuperavit,
hanc quidem per insidias, dum videlicet Iuniores aliquot au-
daculi, muliebribus vestibus rusticis induti circa vesperam
urbem ingressi, noctuq; reſeratis portis illum cum exercitu
suo intromiserunt, paulò post tamen hæc ipsa Vrbs ab eo ite-
rum relicta, ac Ervittio præfecto Hispaniæ tradita fuit.

Eodem hoc tempore Sabaudia Ducis filij, Victor-Ama-
dæus & Thomas, Principes Pedemontij cum Genuensibus
acerrimè conflixerunt, & Ioannem-Hieronimum Dorian,
cum sex militum millibus tribusq; tormentis illis succurren-
tem, octingentis eorum cæsis, captivum abduxerunt, Turi-
numq; transmiserunt, post cladem istam Arce Pievi quoq;
Araſta, portu Mauritiij, Diano, Fano S. Remi, Lauduno &
Albenna potiti sunt, quæ posteriora duo tamen oppida brevi
post rursus amiserunt, trecentis Gallorum securi percuf-
ſis.

*Tumultus
Italici &
Sabaudici*

Mense Iulio Gustauus, Adolphus, Sueciæ Rex cum in-
genti 76. navium classe, Rigam adpulit, factaq; illic excen-
sione Exercitus ulterius progrediendo Kockenhusium, Nie-
dorffium, Selburgum, Duneburgum & Dorptam occupa-
vit.

Decimo-octavo Iulij Henricus-Fridericus Princeps Fri-
dericus in Ordinem Equitum Garterij cooptatus & aurea
Periscelide donatus est Heusdæ ab Oratore Magnæ Britan-
niæ Regis Caroli.

Tillius interim Com. Hæxteram ppugnaculum & Holtz-
mundam transitum ad Visurgim, intercepit. Daniæ autem
Rex, vallum vrbs Hamelæ & stationes ibidē dispositas per-
I 3 Iustrans,

equo ipsius fragore bombardæ territo, deq; vallo in imum vsque præcipitato & cervices confringente, vehemēter læsus, in gravissimum vitæ periculum incidit, Dei tamen beneficio ac diligenti Medicorum & Chirurgorum ope pristina valetudini restitutus est: Hic cum inde discederet, exercitumq; suū in Episcopatum Verdensē abduceret, Tillius Hamelam & Mundam occupavit, Cæsareumq; ijs præsidium imposuit: Cæsarianis interea alijs direptionibus crebris agrum Brunsvicensē infestātib. alijs in Comitatu Schaumburgico incendijs magnum incolis damnum inferentibus, verbi ministros quibusdam in locis manibus & pedibus, nonnullos etiam naribus auribusq; mutilantibus & fœminarum mammillas rescantibus.

Eodem hoc mense Julio horrendæ passim tempestates, tonitrua & grandines varijs in locis, præsertim v. in Silesia, Bohemia & Comitatu Hennenbergico multum damni dederunt. Pestis etiam in Anglia adeò sævijt, vt quandoque ad tria millia hominum vnica septimana extincti fuerint. Simile Contagium Bohemiam quoq;, Austriam, Marchiam Brandenburgensem & Pomeraniam graviter afflixit,

Rex Hispaniarum negotiationes cum regnorum suorum incolis hoc tēpore, publico mandato Vnitis Provinciis interdixit. Gubernator itidē Mediolanensis Veruam ciuitatem in Monteferrato, quæ Iurisdictionis Sabaudicæ est, arctissima obsidione cinxit, qua durāte, Don Ferdinando de Verrado occubuit. In Gallia autē Hugonotis tā prophana, quam Religionis Pax ad triennium confirmatur.

Mense Augusto Tillius Stoltzenaviā intercepit, qui cū Nienburgū peteret 24. Augusti fortiter repressas est, triduoque post habito cum Danicis cōfliktu circiter duo millia suorum in eo amisit. idem quoq; illi obtigit KL. Septembrib. vni Nienburgenses facta eruptione centū ex Cæsarianis in fossis oppresserunt ac trucidarunt: Vbi tum Rex Daniæ ditionem
Lunæ.

Lunæburgensem per aliquot dies militi suo diripiendam dedit. Tillius autem in obsidione Niēburgensi pergens, Arcem Wolpensem, vi occupavit, castris suis Petershagam & Mindam vsq; transfusus, vt eo melius annonæ in castra Danica transuchendę comoditatem præriperet, obsessis interim strenuè sese defendentibus, & multis etiam in ipsis fossis sæpe necantibus.

Die D. Bartholomæi Jaroslavium, celebratissimum Podoliæ oppidum, ipso nundinarum tempore miserè conflagravit, adeoq; devastatum fuit, vt præter quatuor officinas institorias, nihil incolume permanferit.

Circa idem tempus Dux Soubisius vna cum Rupellensiu copijs mari pulsus est à Duce Montmorancio, Regiæ classis præfecto.

Sub initium Octobris Neapolis, Austriæ Urbs, à novo templo vsq; ad portam Viennensem cum circumjacentibus plateis incendio perijt.

Eodem tempore Confœderatio inter Angliæ, Dania & Sueciæ Reges ac Provinciarum vnitatum Belgicarum Ordines in quindecim annos inita est, ad bellum videlicet contra Hispaniæ Regem, quem etiam Angliæ Rex hostem suum declaravit, terra mariq; gerendum.

Pestis in Anglia recruduit, Londini cum primis, adeo vehementer grassata, vt in illa Urbe tantum vni⁹ hebdomadæ spacio 4870. hominum perierint, Rege interim Oxoniæ cum aula sua commorantæ.

Albertus Fridlandiæ; Dux interea Eimbeccam versus cõtendit, & inde Halberstadium, tandemq; & Halam - Saxonũ occupavit, Tillio pariter plurima in Ducatu Brunsvicensi loca intercipiente, totamq; regionem miserè devastante ac depopulante, urbem tamen Stoltzenauiam iterum amittente, q̄ Dania Rex hoc tempore recuperavit, q̄ simul transitum p̄ Fretum Danicum siue Chersonesũ Cimbricã (vulgo den Dre Sünd

Sūnd) Navibus Hispanicis & omnibus illuc tendentibus denegavit, imo in posterum penitus prohibuit. Pari ratione Vnitarum Belgij Provinciarum Ordines commercia cum Hispanis, incolis suis interdixerunt.

Buda Vngariæ vrbs celeberrima deflagrationem quoq; repentinam passa, qua plusquam mille domus, & multi insuper homines miserè interierunt.

Octavo Decembris Ferdinandus III, Cæsaris filius Sempronij (vulgo Oedenburgi) in Vngarię regem solemniter coronatus est.

Circa idem ferè tempus Augustus Saxonix Dux, Iohannis Georgij Electoris filius, in Coadjutorem Archiepiscopus Magdeburgensis electus ac postulatus est.

Nuptias celebrarunt: Thomas Princeps Pedemontij, Caroli Emanuelis, Sabaudix Ducis filius, cum Carolotta Anna, Calori Borbonij, Sueffionum Comitis filia, mense Ianuario.

Heinricus Fridericus Princeps Auraicus, Comes Nassavius, &c. cum Æmilia, filia Ioannis Alberti. Comitis Solmenfis, 26. Martij.

Carolus, Magnæ Britannix rex cum Henrica, filia Henrici Magni, eius nominis Quarti, Francix & Navarræ regis, ipsis Kal. Iulij.

Obierunt: Philip. Iulius Dux Steini Pomer. &c., Wolgasti 6. Februarij.

Ioachimus Sigismundus, Ioannis Sigismundi Electoris filius, Marchio Brandenburgicus, Ordinis S. Ioannis per Marchiam, Pomeraniam & Vandalinam Magister, &c. 22. Febr. hora 12, noctis.

Ioachimus Ernestus, Marchio Brandenburgicus, &c. Onolsbaci, 25. Februarij.

Iacobus, magnæ Britannix rex, &c. 26. Martij, in arce Regia Thiebolda, cui in regno successit Carolus F.

Mau-

Mauritius Nassavius Princeps Aulicus, Provinciarum Vnitarum Belgij supremus Gubernator, &c. 23. Aprilis, ætatis suæ 58. Hagæ Comitum, Agamus, cui successit frater Henricus Fridericus.

Fridericus Dux Saxonie Altenburgensis, in pugna ad Leynam propè Hanoveram strenuè pugnans occubuit, vna cum Iohanne Michaele Obentraut, Equite Rhenano, militum Duce à partibus Christiani IV, regis Danie, 24. Octobris,

Eitelfridericus, Cardinalis & Episcopus Osnabrugensis, Comes in Hohenzollern, &c. in cuius locum successit Franciscus Gulielmus, Comes de Wartenberg, Electoris Coloniensis Magni Aulæ Magister, &c.

Theologi: Doct. Abrahamus Schultetus, Embdæ.

D. Ioannes Piscator, Herbornæ.

D. Sibrandus Lubbertus, Franekeræ in Frisia.

D. Georgius Remus Ictus Reipubl. Norinbergensis Cõfiliarius.

D. Ioannes Hartmannus Beyerus, Medicus Mœno-Frãcofortanus.

ANNVS CHRISTI. 1626.

Carolus magnæ Britannie Rex, mandato publico 18. Ianuarij commercia & negotiationem omnem cum Hispanis, & alijs, Burgundicæ ditioni subiectis, penitus interdixit.

Legati Gabrielis Bethleni, Transylvanie principis, Bero-
linum aduenientes, Sponsalia ibidem Prid. Eid. Ianuarij, no-
mine principis sui cum Catharina, Marchionissa Branden-
burgica, Iohannis Sigismundi Electoris Fil. celebrarunt, cū-
que Sponsâ 16. Ianuarij illinc iterum discedentes, Transyl-
vaniam versus iter instituerunt, vbi nuptiæ postmodum 28.
die Febr. splendide admodum celebratæ sunt.

Pragæ penultimo Ianuarij D. Iohannis Adami Cappr. de
K Capper.

*Res Hun-
garica &
Bobemica*

Capperstein vidua adultera, utpote quæ antea cum Nobili quodam Bohemo Zabsky consueverat, maritumq; è medio tolli curaverat, virgis prius cæsa, inde ante proprias ædes securi percussa est, prædicto Nobili etiam, vti cædis illius conficio, septimo die mensis sequentis, capite truncato.

Exeunte hoc ipso mense Ianuario Galliarum Rex Rupellanos aggrediens, multas circa urbem munitiones excitavit, civibus e contra ad defensionem infracto animo sese præparantibus, magnâq; annonæ copiam in urbem navigijs introducentibus.

Postridiè Kal. Februarij Carolus, Jacobif, postquam die præcedente 80. tam avita quam propria nobilitate ac meritis insignes Equestri Periscelidis dignitate ornaverat, in magnæ Britannia regem solemniter Londini coronatus est.

Hoc tempore Mansfeldius Servestam principatus Anhaltini urbem suæ potestatis fecit.

Mense Martio Poloni magna clade à Suecis adfecti sunt in Liuonia strenuam in primis operam præstante Francisco Bernharde Comite à Thurri, Ita & Persarû regis copiæ, Turcarum exercitum propè Babyloniam ad interneccionem ferè cædentes lautissimam obtinuerunt victoriâ. Rex Dania Arceem Peynensem, in Episcopatu Hildesiensi, urbem Vechtam. Quackenburgû, Iburgum & loca alia interceptit, qui & 2. prædicti mensis die, ope Ducis Saxonie Vinariensis Episcopatum Osnabrugensem occupavit, quem tamen Cæsariani post bimestre spatium vna cum Weidenbrucka urbe recuperarunt.

Decimo tertio Aprilis Amstelrodami Arminianis quibusdam in æde privata congregatis, concionemq; instituentibus. plebs irritata domum istam oppugnavit ac diripuit penèque destruxit, ita vt nec Præfectus urbis tumultû sedare potuerit, sed ipsi tandem ciues arma capere, & tumultuantes vi abigere coacti fuerint: Idem & Lugduni Batavorum 28. ejusdem mensis die accidit.

Inte-

Interea 25. Apr. Viennæ incendium subortum, quo triginta circiter ædes perierunt.

Eodem tempore Mansfeldi Copiæ, munimentum ante pontem Dessauensem exstructum in vadere conantes, à Cæsareis fortiter repulsæ & magna clade adfectæ sunt, triginta quatuor signis militaribus pedestribus, & tribus equestribus amissis, Duce Fridlandiæ insuper Servestanam urbem, ab ijs desertam, occupante.

Sequenti mense Majo in Frisia & superiori regione Iselana ob noua quædam ab Ordinibus confœderatis imposita onera, magna inter Magistratus & Subditos contentio exorta est, Leoardiæ ciuibus armatis forum occupantibus, & tormenta ex Armamentario educta in muris collocantibus, militemque præsidarium ex vrbe dimittentibus.

Interim ingens in Ducatu Calabriae Terremotus, eversione templorum & ædium aliarum in Episcopatu & vrbe Cantazaro, magna itidem aquarum inundatio in Hispania, Toleti, Salamancæ, Hispali alijsq; Ciuitatibus ac pagis plurimum damni incolis dederunt.

Sub finem dicti mensis Maij Rustici in Austria superiore congregati, liberum Religionis exercitium, quo se priuatos conquirebantur, expetentes, armis rem aggredi conati sunt, & multas civitates ac pagos sui iuris fecerunt tandemque numero eorum indies accrescente, Lintzium obsidione cinxerunt, validissimeq; oppugnarunt, & licet Cæsar à proposito illos dehortaretur, nihilominus tamen in seditione perseverantes Steyram & Amisum interceperunt.

Sexto Junij Comes Tillius Mindam urbem strenuè oppugnare cœpit, paucisque post diebus armata manu occupavit, ciuibus & præsidarijs militibus fortiter quidem sese defendentibus, sed miserè ad internecionem vsque cæsis, ut trucidatorum duo millia & quingenti numerati, eorumque cadavera postmodum trecentis plaustris imposita, atque

vrbe euecta, partim sepulta, partim vero in Visurgim fluvium projecta fuerint.

Hac æstate Turcæ expeditionem fecerunt in Persiæ regnum, vt illud potestati suæ subijcerent, verum tanta vi reiecti fuerunt, vt omni eorum exercitu dissipato, vltra decē milia amiserunt, q̄ idem postea etiam mense Augusto obtigit ijs in oppugnatione vrbis Babylonix, vbi obsessi Persæ, vrgente fame, facta eruptione aliquot millia Turcarum trucidarunt, multis insuper captiuis secum abductis.

Quinto Iulij Gustavus Adolphus, Sueciæ rex, in Prussiæ Ducatum expeditionem faciens, cum ducentis navibus Pillaviam septem miliaribus Regio monte distanrem appulit, eamq; vt & Braunsbergam, Frauenburgum ac Mariæburgum vna cum Arce occupavit, totamque regionem vicinam suæ potestatis fecit, vnde magnus vbique incolarum metus obortus, Monachis ac Monialib. magno numero Dantiscum confugientibus.

Eodem tempore supradicti Rustici in Austria, quorum numerus ad multa millia jam excreverat, in proposito suo perseverantes, Freystadium in suam potestatem redegerunt, paulopost tamen 24. nempè eiusdem mensis ante oppidum Ens vltra 900. eorum cæsi & 12000. fuga dilapsi ac dissipati fuerunt.

Kalendis Sextilibus Ernestus Casimirus Nassovius, nomine & mandato Ordinum confœderatorum Belgij Oldensecla vrbe occupata, propugnacula ac defensiones eius solo æquavit. Et vndecimo eiusdem mensis Comes Tillius Gotingam deditioe cepit.

In Gallia interim Cæsar. Dux Vindocinensis eiusq; frater Alexander, magnus Prior Franciæ, vterq; Heinrici IV. Gall. regis filius naturalis captiuus in Arcem vrbis Amboise abductus fuit.

Vigesimo septimo Augusti ingenti clade adfectus Daniæ

nix regis exercitus, propè arcem Lutheram, in agro Brunsvi-
eensi, vbi turmis pedestribus internecone ferè deletis, Equi-
tatu autem penitus dissipato, præter alios etiam Philippus,
Hassia Landgravius, Mauritij filius, & Joan. Philippus Fuch-
sius, militum Dux celeberrimus perierunt, & multi insuper
Præfecti cum 60. vexillis pedestribus, sex equestrib. & viginti
duobus tormentis bellicis, capti fuerunt.

Sub initium Septembris Ernestus Mansfeldius cum ma-
nu sua à clade Desslayensi recollecta, cui Joannes Ernestus
Dux Saxonix Vinariensis, à Daniæ rege cum copijs adiunctus
Silesiam ingressus, Carnoviam siue Iægerndorffium, Ratibo-
riam, Oppaviam, Teschinium & plurima alia Moraviam ver-
sus sita oppida interceptit, præfidiisq; firmavit: Nec Turcæ
interim quieverunt, dum loca quædam, Iurisdictioni Cæsaris
subiecta, depopulari, urbemque munitissimam Neogradum
tormentis summa vi oppugnare conati, sed à Fridlandiæ Du-
ce acriter repulsi sunt, qui Pofonio nomine Cæsaris præfidi-
um imposuit.

Ita & mense sequenti à Persis quoque aliquot Turcarum
millia cæsi.

Decimo octavo Octobris Rustici in Austria, magno ite-
rum numero cunctes, Monasterium Schlegel & Wellingē-
se, incolis Catholicæ religioni addictis, miserè trucidatis, in-
cendio devastarunt, & urbem insuper Gmundum occuparunt:
Sequenti autem mense à Gotofredo Henrico, L. Barone Pap-
penheimio S. Rom. Imp. Mareschallo hæreditario aliquot
prælijs victi ac cæsi, ab obsidione vrbis Lintzii recedere, &
Gmundam iterum atque Effertingam relinquere coacti sunt,
vnde metu perculsi ac consternati, maximam partem dissipa-
ti plurimiq; eorum, propria sede relicta, extra Provinciam a-
lias in Regiones perfugerunt.

Vigesimo quarto Decembris Ossa & Reliquiæ S. Nort-
berti, Episcopi quondam Magdeburgensis, An. Chr. 1144. ibi-

deminhumati, Legatis Cæsareis, vtpote Baroni Altringero & Abbati Monasterij Pragensis, in Strohoff dicti, istuc nimirum transferendæ, solemniter à Capitulo, traditæ fuerunt.

Nuptiale Sacrum celebrauit Gabriel Bethlenus Transyluanix Princeps, cum Catharina, Joannis Sigismundi, Electoris & Marchionis Brandenburgici filia, Caschoviæ 28. Februarij, postquam illa prid. e. d. Januarij per Legatos suos ei Colonia ad Sueuum solènter desponsata fuerat.

Nata Henrica Friderici Palatini filia, 7. Iulij.

Obierunt: Christianus, Dux Brunsvicensis & Lunenburg. Episcopus Halberstadiensis, 6. Iunij, Wulfferbyti.

Elisabetha, Friderici II. Daniæ regis filia, Henrici Iulij, Ducis Brunsvic. & Luneb. Vidua, 19. Iulij, Brunswigæ.

Ludouicus Landgravius Hassiæ Darmstadiensis, 27. Iulij.

Philippus, Hassiæ Landgravius, Mauritiij filius, in prælio prope arcem Lutheram occumbens, 27. Augusti.

Joannes Sueiccardus, S. Rom. Imp. Elector & Archiepiscopus Moguntinus, anno ætatis suæ 75. Administrationis Electoralis 23. Decimo septimo Septembr. in cuius locum electus 20. Octob. Georgius Fridericus Greiffenclaw à Volrath Episcopus Wormatiensis, & præpositus Moguntinus.

Ernestus, Comes Mansfeldius 20. Nouembris in oppidulo Rackoua in Bosniæ Regno, in itinere Venetias versus: Corpus vero ejus Spalatum delatum, ibiq; terræ mandatum.

Joannes Ernestus Dux Saxonix Vinariensis, &c. 4. Decembr. in oppido Vngaria, cui à S. Martino nomen.

Theologi: D. Joannes Winckelmannus, Academiarum Giessensis ac Marpurgensis Professor publ. 3. Augusti, æt. suæ 75. Giessæ.

D. Balthasar Meisnerus, Professor publ. in Academia Wittebergensi, 29. Decembr.

ANNVS CHRISTI. 1627.

Mensis Februarius novi hujus anni, diversis, & quidem ingentibus, in mari subortis tempestatibus, admodum funestus fuit. Nono siquidem die Navis mercatoria ex India Orientali redux, procellis sæuissimis agitata, ad Franciæ oras propè Caverdonam; Decimo quarto autem 37. aliæ minores, & quinque naves bellicæ, priorib; in occursum emissæ submerse sunt, in quibus omnibus ultra 4500. homines vtriusq; sexus cum mercibus preciosissimis, quarum jactura quinque Aureorum Ungaricorum milliones excedere dicitur, miserè in vndis submersi perierunt.

Martio mense Danicæ copiarum opportunos Vngariam & Poloniam versus in Silesia transitus, occupantes Cosell ad Oderam situm quoque ductu Joachimi Carpizònij in suam potestatem redegerunt, lautissima inibi præda potiti, supellectile nimirum argentea, quæ plusquam 70000. æstimata fuit Imperialibus.

Vigesimo secundo hujus mensis Styl. vet. ipso die Viridiū Poloni oppidum Putzko, à Sueciæ rege antehac occupatum, deficiente nimirum præfidiarijs com meatu, & paulopost Hammersteinium quoq; recuperarunt, vbi copias Suecicas, quas Tribuni Streiff, & Baro Teuffel in agro Megapolitano collectas, per Pomeraniam, Borussiam versus ducere tentaverant, deditione ceperunt, militibus dimissis, Ducib; autem captiuis Warsauiam abductis.

Mense sequenti Aprili Viennæ Austriæ novus Ordo, cui nomen de S. Paulo, introductus est, cujus fratres Ædem sacram ædificari curarunt, vbi die 21. ejusdem magno suborto incendio, centum & sexaginta domus, cum Monasterio propè templum D. Jacobi, flammis correptæ perierunt.

Interea Cæsarei Brandenburgum, Ratenauiam, Perlebergam, Havelbergam & alia loca in veteri Marchia occuparunt.

Vige-

Vigesimo Maij ex Rusticis istis seditiosis primum octo, quorum septem catholicam Religionem prius amplexi fuerant, pegmate in foro exstructo, capitis supplicio adfecti sunt Lintzij, pauloq; post quatuor alij, novem illorum, post capitis amputationem; in quatuor partes dissectis, vno flammis combusto, duobus autem vivis furca suspensis.

Hoc tempore Grunenberga Silesiæ vrbs tota incendio conflagravit, Schola & Ædibus sacris tantum illæsis.

Mense Junio Cæsar omnes Regni Bohemiæ incolas tam Illustri Profapia oriundos, quam Equestris Ordinis viros, religionem Catholicam amplecti detrectantes, intra certum terminum publico edicto regno excedere iussit.

Hoc tempore Henrico Friderico Nassovio, Principi Aurais, ante biennium in Ordinem Equestrem aureæ Periscelidis à magnæ Britanniæ Rege recepto, per Legatum extraordinarium Charletonium & Fecialem Insignia dicti Ordinis transmissa sunt.

Sub initium Julij Northeimium, postquam obsessi strenuè se defenderant, nomine Cæsaris tandem à Comite Furstenbergio deditone occupatum est.

Sub eiusdem mensis finem, Trigesimo nempè Julij Stylo. Nov. horrèdus & ingens Terræ motus in Apulia, Regni Neapolitani Provincia, obortus est, qui ad 200. miliaria Italica se extendens, multa castella & vrbes, in primis eam, cui à S. Severo nomen, evertit, ultra septendecim hominum millibus misere extinctis ac deletis.

Interim Fridlandiæ Dux Lischwitzium, Carvoniam, Oppaviam, & facta cum Danici Exercitus Præfectis transactione, Coselium quoq; recepit, omniq; milite isthinc, & ex tota Provincia, præstito prius Cæsari iuramento, intra sex menses, illum arma se non sumpturum, ad Daniæ Regem transfente, Uniuersa Silesia ad Cæsaris Imperium atque obedientiam redijt.

Vige-

Vigefimo Augufti Henricus-Fridericus Naffovius, Prin-
ceps Auraicus Grollam urbem occupavit: Angli itidem cir-
ca id tempus Infulam de Raiz dictam, non procul ab Vrbe
Rupella, in poteftatem fuam redegerunt, Gallis quampluri-
mis in ea trucidatis.

Menfe fequente Septembri Pax inter Cæfarem & Tur-
cam certis Articulis comprehenfa & confirmata eft.

Nono die ejusdem menfis, magna suborta tempeftate
Niffæ in Silefia, turris curiæ fulmine tacta, & in fupiore parte
combufta, corruit, multumq; damni incolis dedit; Ita alijs
etiam in locis magna ftrages ab aquis intumefcentibus edita
fuit præfertim in Franconia, vbi nube rupta, tanta aquarum
vis decidit, vt in aliquot pagis domus euerfæ, homines cum
armentis fubmerfi, agri, prata, ac vineæ vaftatæ, lapidibusq;
mirum in modum completæ fuerint.

Decimo quarto Septembris Concionatores Evangelici
& Ludimagiftri per Mandatum Cæfareum toto Archiduca-
tu Auftriæ infra Onafum excedere jubentur.

Interim Fridlandiæ Dux Daniæ Regis exercitum acriter
perfequendo, maximam Holfatiæ partem, & Jutlandiam, no-
mine Cæfaris occupavit.

Menfe Octobri Conventus Electorum & Principum Mul-
hufij habitus, vbi præter Moguntinum nemo ex Electoribus,
tam Ecclefiasticis, quam fecularibus, alijsq; Imperij princi-
pibus præfens comparuit, fed per Legatos tantum res acta
fuit. *Conven-
tus Mul-
hufinus.*

Hoc ipfo tempore Galliarum Rex obfidione validiffima
Rupellam urbem infestat: Angli autem obfelfis opem ac
fuppetias ferentes, Infulam & Fortalitium S. Martini propè
Rupellam urbem in Gallia interceperunt, quæ tamen fub
finem hujus anni, magna accepta clade, rurfus deferere co-
acti funt.

Decimo - sexto Novembris Nienburga Arx in Ducatu
L Brun-

Brunsvicensi à Tillio Comite, post diuturnam obsidionē, occupata est.

Vigesimo. primo ejusdem mensis Serenissima Imperatrix S. Cæs. Majestatis conjunx, Diademate Regio Bohemico ornata, & quinto die post Filius ejusdem primogenitus Ferdinandus III. Ungariæ Rex, in Regem Bohemiæ quoque solemnibus adhibitis ceremonijs Pragæ coronatus est.

*Ferdinandus
III. Hung
Rex in Boh.
Regem in
augura
247.*

Sub finem Nouembris Exercitus Cæsareus in Pomeraniam venit sub Imperio Johannis-Georgij ab Arnimb, Marschalli campi, hyberna sumturus, in omnes ferè totius Provinciae Urbes, Stetino Metropoli, & tribus aut quatuor alijs tantum exceptis, distributus.

Wulffenbytum, siue Guelphorum Arx, cum aliquandiu Cæsarianorum impetum fortiter sustinuisset, tandē 24. Decemb. deditioem fecit, quæ tamen Duci suo restituta est.

Nuptias celebrarunt: Gorgius, Ludouici F. Landgrauius Hassiæ, cum Sophia-Eleonora, Ioannis-Georgij, Electoris Saxoniae F. primo Aprilis Torgæ.

Fridericus Dux Holsatiæ &c. cum Juliana, Francisci II. Inferioris Saxon. Ducis F. KL. Sextilibus Stetini in Pomerania.

Carolus Gonzaga, Dux Rœthelanus, Caroli Niuerniæ Ducis Filius, cum Maria, Francisci, Mantuani Ducis, Agnati sui Filia.

Natus Philippus, Friderici Palatini F. Hagæ-Comitis 26. Septembris.

Obierunt: Wilelmus Nassouius, Mauritij Principis Auraci &c. F. naturalis, in obsidione vrbs Grollæ mense Augusto.

Vincentius II. Dux Mantuæ & Montisferrati sub finem Decemb.

Theologi: D. Balthasar Mentzerus, Academiarū Marpurgensis & Giess. Profess. Publ. 9. Ian. Ætatis suæ 62. Marpurgi,

D. Fridericus Balduinus Profess. Academiae Witemberg. KL. Maij. Desi-

Desiderius-Constantinus Oeslerus, Medic. D. Illustrissimorum Pomeraniæ Ducum per 44. annos Archiater, die 8. Septembr. Ætatis suæ 75.

ANNVS CHRISTI 1625.

Sub ingressum hujus anni Albertus, Fridlandiæ Dux à Cæsare S. Rom. Imp. Dux Creatus & simul de Ducatu Sagenensi in Silesia investitus est.

Gustauus-Adolphus, Sueciæ Rex Exulibus è Germania, vicinisque locis, tam propter Religionem regionibus suis pulsis, quam ob ingruentes belli incommoditates afflictis, liberum aditum, inque suo regno habitandi potestatem & quidem publicè hac de re promulgatis literis, concessit.

Sub finem mensis Januarij Augustus, Saxonix Dux Joannis-Georgij Electoris F. in Archiepiscopum Magdeburgensem electus & postulatus est: Cæsare tamen contradicente, literis, tum ad Electorem tum ad Capitulares, vndecimo Febr. St. N. datis.

Circa hoc tempus nouum Bellum in Italia inter Carolum Niuerniæ Ducem ex vna, & Governatorem Mediolanensem nomine Philippi, Hispaniarum Regis, ac Carolum-Emanuel, Sabaudix Ducem, ex altera partè exarsit, ob Mantuæ ac Montisferrati Ducatus quos Vincentio, postremo Mantuæ Duce absq; prole defuncto, Niuerniæ Dux tanquã Agnatus proximus & successor occuparat, Homagiumq; sibi per filium Carolum, Ducẽ Ræthelanum, qui duxerat Francis, Mantuæ Ducis, F. præstari curaverat.

*Mantuæ
na Dissi
dia.*

Duodecimo Februarij intra horam 5. & 6. vespertinam incuria famulorum signiferi Cæsarei Masloviæ in Pomerania incendium subortum, quo dimidia oppiduli pars conflauit.

In Gallia Ducem Rohaniũ famulus suus sclopeti manuarij

ictu traicere volēs, captus, & ad supplicium tractus, quatuor equis discerptus est.

Interea strenue pergitur in negotio Reformationis in Palatinatu: Ex Heydelbergenfibus enim quamplurimi, paucis inde discedentibus, Catholicam Religionem amplexi sunt, quod & Germersheimenses & Crucenacenses cum magno Colonorum numero, & Hagenoæ cives fere omnes fecerunt, quorum 600, spatio vnius mensis, post impetratam peccatorum absolutionem, ad Pontificios secesserunt. Franckenthalienfium verò potior pars idem facere plane renuens, domicilia sua deferere, alioq; recedere, quam fidem, semel agnitam, ab negare maluit.

Decimo-quinto Aprilis St. Vet. in Monte albo, non procul ab vrbe Pragenfi, Monasterium & Templum, exstrui cœptum est, cuius primum lapidem Cæsar ipse posuit, eiq; ob victoriam ibidem A. C. 1620, 8. Novembris St. Novo obtentam, S. Mariæ de Victoria nomen dedit.

Eodem tempore Cafala, propugnaculum fortissimum, in Ducatu Montis ferratenfi à Governatore Mediolanensi, nomine Regis Hispaniarum, quam validissime obsessum.

Cæfare interim Ducatum Iuliacensem & Montensem in protectionem suam recipiente, legiones aliquot, ad Regiones istas sequestrandas, vsque dum successonis controuersia decideretur, introductæ sunt, ac ciuitatibus, vt intra bimestre spatium Concionatores Euangelicos omnes dimitterēt & templa scholasq; Catholicis restituerent, Mandato Cæsareo iniunctum est.

Pari quoque ratione Viennæ Austriæ, sub finem Aprilis puplico edicto, non tantum Augustanæ Confessionis exercitium, verum etiam omnia Lutheranorum, quos Hæreticæ pravitatis Doctores nuncuparunt, scripta ac libri prohibiti fuerunt.

Bohemobrodiū, quatuor miliarib9 Pragà distans oppidū, præter suburbium, totum incendio perijt. Vigefi-

Vigesimo-septimo Aprilis Stada, Urbs, post aliquot mensium obsidionem, à Comite Tillio deditio occupata, in potestatem Cæsaris venit.

Stralesūda, Ducatus Pomeraniæ Urbs maritima, 12. Maij, ^{Stralesūda obsesio.} eò, quod Præsidium Cæsareum, quemadmodum aliæ ciuitates fecerāt, recipere recusauerat, à Johanne-Georgio ab Arnimb, campi Cæsarei Mareschallo, arctissima obsidione cincta, ipsoque tandem Duce Fridlandiæ & Saganæ, 4. Iulij adueniente, cui insuper expetenti quatuor tormenta bellica ex fortalio Custrinensi & quatuor alia à Pomeranorum Duce Bugislao transmissa, magis magisque omnibus viribus oppugnata, vno quidem die 975. explosionibus in urbem factis, verum obsessis etiam viriliter sese defendentibus, & multis à vtraque parte desideratis, 29. die mensis Iulij iterum relicta est.

Interim autem funestis bellorum motib. vbiuis ferè locorum sævientibus, Urbanus VIII. Pontif. Romanus Iubileum promulgauit.

Eodem tempore Cæsarianis Krempam, & Glückstadium munitissimas Holsatiæ vrbes, obsidentibus, Hollandi Rauēspergam Arcem occuparunt. Ita & Sabuaudiæ Dux Trinum, Pondesturam, & paulò post Montecavallam, Ducatus Montisferrati Ciuitates, interceptit.

Leopoldus-Gulielmus, Archidux Austriæ &c. Imperatoris Filius natu minimus, Abbatia Hirschfeldensis in Hassia successionem, Cæsaris quidem nomine accepit, iure tamen suo & Religionis exercitio, Domui Hassiacæ reseruatis.

Decimo-quarto Iunij St. Nov. Commissarius cum præfecto vigilum, 100. peditibus & 50. Equitibus nomine Guolfgangi-Gulielmi, Palatini Neoburgici &c. Vesaliam ingressus, claues vtriusq; templi Euangelicorum à Magistratu sub pœna 5000. Aureorum, postulauit, vbi autem id ipsum, ciui-

bus mala quæque potius perferre statuentibus, impetrare non potuit, biduo post, primo majoris, deinde & alterius Templi foribus per Serarium referatis Catholici, cum crucibus & signis intrantes, sacra sua peregerunt.

Die 28. ejusdem mensis ingens incendium Vratislaviæ obortum est, quo 150. ædes perierunt.

Mense Julio quinque milites, qui Bergopsomam urbem Hispanis tradere voluerant, Hagæ-Comitis laqueo primum necati inde capita illorum gladio abscissa & palis adfixa sunt.

Trigesimo-secundo Quintilis, inter Regnum Regemq; Sueciæ Gustauum-Adolphum, & Stralesundam, Pomeraniæ Urbem, in annos viginti fœdus initum est, non quidem in præjudicium obedientiæ ac devotionis, qua Cæsari & Duci suo obstricti sunt, aut Jurisdictionis, Statutorum, Priuilegiorum ac immunitatum, quibus gauisi sunt hætenus, & adhuc gaudent incolæ, saluo tamen præsentis fœdere, sed ad defensionem tantum Urbis ac portus, & per Consequens majorem Balthici maris securitatem, liberamq; commerciorum conseruationem, in quem finem alter alterius etiam commodum ac salutem respectiue quærere ac promouere teneatur, nequaquam autem ad ullius offensionem, nisi fortè bellum aliquod inde emergens, tale quid exposcere videatur; si quidem præfatus Rex, suo & totius Regni nomine, vi pacti hujus, rebus sic stantibus, in gratiam urbis, cum media omnia ad pacem tendentia, adhibiturum se, tum, si necessitas efflagitet, contra aduersarios, quicumq; etiam illi sint, strenuè eam defensurum; Urbs e contra nec à Regno, nec à se vlllo modo recessuram se, sed constantissimè secum perseueraturam, nec vllam etiam pacis tractationem, se inscio, admissuram promittit, ita tamen, ne huic pacto, alia fœdera, in primis Hanseaticum, præjudicare, aut in contrarium allegari debeant, certis hac de re cõscriptis Articulis ijsq; manu & Sigillo Regis corroboratis.

Sub finem Julij, & initium Augusti Daniæ Rex classe sua

Insu-

Insulam Usedomiam, vt & munitiōem Peinemundanā, ac Wolgastum Urbem Ducalem inuadens, occupauit, quam quarto dicti mensis die cum duobus filijs & aliquot equitum peditumq; turmis ingressus, verum, milite Cæsareo è vicinioribus locis adueniente, cruento ante urbem commissō prælio à Duce Fridlandiæ & Saganæ &c. iterū pulsus fugatusq; quā plurimis suorum desideratis, naues conscendere & loca ista 11. Augusti, relinquere coactus est: Wolgastēsis autē ciuitas. quam Daniæ Rex in discessu ex vna parte incendi iusserat, militum libidini ac direptionibus exposita fuit.

Wollinum, antiquitus Julinum dictum, & sedes Episcopalis in Pomerania, quæ hodiè Cammini est, ex incuria fortè militum Cæsarianorum 9. Augusti flammam concipiens, totum penitus, cum magna parte Arcis, deflagrauit.

Horrendus admodum hoc tempore Casus Itzehoæ in Holfatia sese exhibuit, vbi 20. Tauri, capitib. illorū conuersis cornib⁹q; in terram infixis à Diabolo necati, & urbis porta à loco suo semota, aliaq; inaudita maximum hominibus terrorem incusserant. Multis passi hinc inde portentis alijs, visionibus, spectris, & prodigijs in Germania visis.

Ordines Regni Suecię videntes bellum istud cum Poloniæ rege magis magisq; indies, crescere, & parum spei de ineunda pace subesse, in Comitijs publicis ad euitādes nimirum turbas & dissensiones omnes, constitutiones, Regni Sueciæ successionē concernentes, A. C. 1604. factas, confirmando renouare, & si Regē suum sine prole mascula decedere obtingat, filiam eius Christinam, tanquā Regni Suecici hæredē legitimam recipere, inq; regia dignitate conseruare, decreverunt.

Rex Sueciæ interim octoginta Equitum turmis decem peditum legionibus, sex sclopetariorum equitum cohortibus & 42. tormentis bellicis ad Marienwerdam urbem adueniens, deditiōne cepit, præsidiumq; Polonicum cum armis & suppellectile sua dimisit,

Sub

Sub finem Septembr. Idem Sueciæ Rex Neoburgum oppidum magni momenti aditum trans Vistulam, cum ingenti pecuniæ summa, ad persoluenda Regis Poloniæ militibus stipendia, & annona ibi adseruata, occupauit; Verum mense sequenti Poloni nonnullos ex præfidiarijs, ad villam quandam in vicinia diripiendam egressos, ex improviso adorti, omnes trucidarunt, indeq; progredientes, oppidulum recuperarunt. E contra Sueciæ Rex, Strasburgum, tanquam transitum, in Masouiam ducentem suæ potestatis fecit. Quod Poloni quidem, vti Neoburgum, sed irritò conatu, rursus tentarunt.

Eodem mense Octobri Baudissin, Tribunus militum Regis Sueciæ cum quatuor selectissimorum Equitum turmis ex Masouia rediens, in 3000. Polonorum incidit, quibus cum acerrimè dimicauit, jamq; ferè euasisset, sed in occursum adueniente Tribuno Polonico Butlero, cum 300. militib. quos hodiè Dragones vocant, accepto vulnere in brachio, captus, & Warsouiam abductus est.

Magnus Cham Tartarorum, antea à fratre, Turcarum auxilio, Regno pulsus cladè acceptam vlturus, fratris exercitum ope Colaccorum cruento admodum prælio fudit, Regnumq; & amissa omnia recuperauit.

Hoc ipso tempore Emmerici & Resæ in Catholicorum templis hætenus occlusis Conciones Euangelicæ haberi cœptæ sunt, eò quod ab aduersa parte Vesaliæ idem factum fuerat.

Vigesimo quinto Octobris Rostochium, vrbs Ducatus Megapolitani & Academia celebris, præsidium Cæsareum recepit.

Sub finem hujus mensis Rupella, Galliæ Emporium & propugnaculū alias fortissimum, à Rege suo Ludouico XIII. terra mariq; vltra annum obsessa, ob intolerabilem & inauditam annonæ caritatem ac commeatus defectum, ita vt incolæ

colarum plurimi per tres ferè septimanas nullo panis aut carnis esu refocillati, cute, corio, radicibus, aliisque brutorum cibis vesci coacti fuerint, nonnulli humanorum cadauerum abscissas carnes comederint, & (quod dictu horribile) mulier quædam propriam filiam deuorarit, puella itidem fratris sui digitos deroserit, imo, quindecim millia circiter hominum fame perierint, dedere se tandem coacta est. Quam miseriam Rex ipse, urbem postea ingressus, oculis suis, non sine admiratione, conspexit, plusquam centum cadaueribus in plateis ac cœmiterijs insepultis jacentibus, Ille autem Kal. Nouembribus, ipso die omnium Sanctorum sacris interfuit, Johan. Armando Plesseo de Richelieu, Cardinale templum initiante, & primum Missæ officium celebrante.

Quarto Nouembris Krempe munitissima Holsatiæ vrbs, post diuturnam, eamq; validissimam obsidionem, annona deficiente, à Duce Fridlandiæ & Saganæ, &c. deditione occupata, præfidiarijs inde cum armis, omniq; suppellectile, expansis vexillis, & ardentibus funiculis discedentibus.

Decimo Nouembris, Elector Saxonix Johannes Georgius, datis ad Capitulum Magdeburgense literis, ad Constāntiam eos adhortatus est, ne ad noui Archiepiscopi Postulationem & Electionem, nec persuasionibus, nec comminationibus vlllo modo se commoueri patiantur, sed in prima illa, qua filium suum Augustum communibus votis semel legitime postularint, quamq; ipse jam acceptauit, firmiter ac constanter permaneant; solemni addita protestatione, si contrarij quid accidat, jus prædicti filij sui quæsitum, saluum ac integrum seruare se velle.

Trium & viginti navium Classis Hollandica, quæ sub initium superioris æstatis 20. Maij, Styl. Nou. Texelia soluens. ductu Petri Petersen Heyn, Generalis & Henrici Cornelij Loncq. Architalassi siue Admiralis 4. Augusti ad urbem S. Anthonij in Insula Cuba adpulerat, ibidemq; Naues, ex Hi-

M

spania

spania Noua argentum allaturas, præstolata fuerat; easque tandem 8. Septembris in sinu ad Matancam, Hispanis, velitatione quidem aliqua præmissa, arma deponentibus, & in Hollandorum manus, à quibus tam nauium, quam militum numero ac potentia se superatos viderant, quiq; Buena guerra, hoc est, incolumitatem & salutem (vulgo gut *Quartier*) vltro ijs promiserant, sese tradentibus, occuparat, & inde 17. Septembris, amplissima præda, & 95. tormentis bellicis potita, & vna vndecim naues Hispanicas secum abducens, iterum, discesserat, vigesimo sexto ejusdem mensis die ad Insulã Barmude aduenerat, duas naviculas in Hollandiam ablegauit, quarum vna, sub Salomone Wilhelmi 15. Nov. Roterodamũ salua adpulit, lætum Henrico Friderico, Principi Auraico, ac Ordinib. confœderatis nuncium ferens, de obtenta victoria & lautissima isthac præda, quæ, præter varias immensi precij merces, Argenti partim cusi, partim in laminas fusi 46. Lastas quarum singula 4000. libras faciunt, contineat, quæ omnia & singula in vnum computata, ad 300. milliones siue 300. tonnas auri, valoris Brabantici æstimata, sub initium sequentis anni in Hollandiam introducta, & præfatus Generalis Petrus Petersen Heyn, cum socijs Hagam Comitæ adueniens, solenni introductione exceptus & torque aurea, aliquot mille florenorum precio æstimata, ab Ordinibus confœderatis, aliaq; ab Henrico Friderico, Principe Auraico donatus est.

Hoc ipso mense Nouembri Baro Carolus Hannibal à Dohna Burggrauis, nomine Cæsaris, Glogouiam, Silesiæ urbem, ingrediens, Templum S. Nicolai Catholicis occupandum tradidit. Inde Sprottauiam petit, & ibi quoque, multis tamen etiam fenio jam confectis alio migrantibus, Catholicæ religionis exercitium instituit, vt & Grunæbergæ, ybi ciues cum clauibus oppidi obuiam ei procedentes, iussa illius exsequi paratos se ostenderunt. Ita primum Ducatu Glogouensi ad Catholicismum redacto, per totam ferè Silesiam

siam hoc & sequenti mense Decembri negotium Reformationis, in puncto Religionis, Evangelicæ nimirum abrogandæ & Catholicæ introducendæ, strenuè urgeri cœpit, quemadmodum præfatus Baro, nomine Imperatoris, modo hanc, modo illam urbem Pontificiam Religionem amplecti cogit.

Sub finem hujus anni filius Cæsaris natus minimus Leopoldus Gulielmus, Archidux Austriæ, à Pontifice Romano Archiepiscopus Magdeburgensis denominatus est.

Nati: Ferdinandus Carolus, Leopoldi Archiducis Austriæ filius, sub finem mensis Maij, & 18. Jun. Styl. Novo baptisatus Oenoponti.

Carolotta, Friderici Palatini filia, 19. Decembris, Hagæ Comitum.

Objerunt: Rudolphus Christianus, Comes Frisæ Orientalis, &c. Buri in conflictu interemptus, 28. Aprilis Styl. Novo.

Iohan. Fridericus, Dux Wirtembergicus, &c. 18. Maij, Stylo Vetere.

Magdalena conjunx Guolffgangi Gulielmi, Comitum Palatini Rheni, Neoburgici, &c. mense Octobri.

Guolffgangus Fridericus, S. Rom: Imperij Mareschallus hæreditarius, L. Baro Pappenheimius, Brunsvigæ 26. Novembris.

N. Dux Buckinghamius in Anglia, & N. Comes de Olivares, Regis Hispan. Consiliarius, occisi.

ANNVS CHRISTI 1629.

Sub initium hujus anni idem Baro Carolus Hannibal à Dohna Svvidnicium Silesiæ urbem ingressus, reformationem instituit.

Pragæ molitor quidam ex vino adusto ebrius, primo ancillam carnes portantem sibi que obviam venientem,

vno ictu, capite securi discisso, interimit, inde in ædibus cereuisiarij cuiusdam pernoctans, duos illius famulos somno oppressos jugulat, eorumq; ventres dissecans, intestina eximit, Hinc vbi cubiculum ipsius hospitis aperiri sibi petit, mulierẽ quoque securi adortus, quam tamen è lecto statim profiliens maritus liberat, eoque ejecto, de vi sibi illata magno clamore conquestus, vicinorum opem implorat, quod vbi prætereuntes fortè fortuna excubitores audiunt, statim januam ædium, arctissimè intus à molitore occlusam & oppellatam, & multa suppellectile quã si obuallatam effringunt, latronẽque capiunt, & in carcerem conjiciunt.

4. Jan. naves aliquot Regis Poloniae, quæ in portu Dantiscano hætenus substiterant, inde soluentes in subsidium Alberto, Fridlandiæ D. ad continuandum in mari Balthico cū Danię Rege bellum, missę sunt, pauloq; post Wisnariam appulerunt, præsidio, q̄ in illis fuerat, postmodum per Pomeraniam Gedanũ redeunte, unde Dantiscani tam Danię q̄ Sueciæ regib. magis exosi redditi, eorumq; naues non tantum in Cymbrica Chersoneso arresto detētę, sed Suecici etiam milites Longè iam infensiores, direptionibus & incendiis, quęcunq; assequi potuerunt, deuastarunt.

Septimo Ianuarii Fridericus Henricus Friderici Palatini F. cum parente ad lautam istam prædam, à Petro Perterssen Heyn Hispanis ereptam, contemplandum, Harlemo iturus, in trajectu fluminis Teyæ propè Amstelrodamum, naui, qua vehebatur, per impetuofam & inopinam alterius nauigij plenius velis occurrentis illisionem, rupta, tristi fato miserè aquis haustus & suffocatus est, patre miraculosâ Numinis benignitate ex eodem discrimine erepto, ac seruato.

Sub finem Ianuarij Kitzinga, Franconiæ Vrbs, quæ hætenus Marchionum Onolsbacensium fuit, cum pertinentibus ad illam pagis omnique territorio, per Commissarios Cæsareos Episcopo Herbipolensi tradita est, vbi post præstitum
à sub

ad subditis homagium, Augustanæ Confessionis Theologis dimissis, Catholici eorum in locum successerunt.

In Hollandia ad Nordovicum, non procul a Lugduno Batavorum, ingens Balæna, longitudine sua 67. pedes excedens ad littus maris eiecta est.

Regni Sueciæ ordines interim Stockholmiæ Comitia celebrantes, pro Regis sui salute se fortunas & sanguinem profuros, eiusque castra quindecim armatorum millibus aducturos, unanimiter decreverunt. Hinc breui post factum, sub initium nempe mensis Februarij, ut Sueci Strasburgum, valdè coangustatum, & comæatu atq; a nonâ admodû laborans, non tantùm liberaverint, sed prius etiam cum Polonis confligentes, magnam stragem ediderint, & quinq; tormētis majoribus septem vexillis multisq; curribus captis, memorabili victoriâ potiti fuerint. Inde Thorunium ingressi sunt, & Legatus quidem regis Svecicæ, misso bis vel ter tubicine, Urbis deditioem sibi illicô fieri iussit: civibus autem id ipsû re-nuentibus, vi illam tentare cœpit: sed oppidani accenso sub-urbio Suecos, qui vnam valli partem iam occuparant, fortissime reiecerunt, ita ut quam plurimis desideratis discedere urbemque iterum deserere coacti fuerint, qui tamen pagos & villas quasdam circumiacentes flammis deuastarunt.

In eunte mense Martio, Galliarum Regis exercitus, Niuernia Duci suppeticas laturus prope Susam, in Pedemontio ad radices Alpium sitam, aduenit, Neapolitanis autem & Hispanis cum duobus Sabaudicorum veteranorum millibus in occursum ei tendentibus & exstructa munitione transitum ibidem impedituris, cruentum præliû per aliquot horas anticipi fortuna continuatum, donec tandem Gallis victoria cederet, qui subacta munitione Susam recta contendentes, urbem istam suæ potestatis fecerunt, Arcem verò valida obsidione cinxerunt.

Interea Cæsar, postquam bona Ecclesiastica omnia, post



transactionem Passauiensem à Protestantibus occupata, repetere, publico decreto statuerat, illoque etiam non paucis in locis insinuato, restitutionem eorum vrserat, ab Argentinensibus quoque templa, in primis summum istud siue Cathedrale exposcit, illi autem, eò, quod Templa ista petita, à majoribus suis fundata, & pijs vsibus ad quos à sese absque vilo abusu adhibeantur, destinata sint, excusando se, postulatis istis satisfacere, recusarunt; si quæ verò extra Urbem sita, ad Collegia spectantia, in sua potestate habeant, reddituros esse; quin & Maximiliano Palatino, & Electori, Bauariæ Duci, vt Cæsari hac in parte obediant, per literas adhortanti, cum communis illa causa sit, in aliorum, Augustanæ Confessionis statuum præjudicium, hac vice nihil statuere se posse, sed ad Comitia publica, & vltiorem causæ & juris sui cognitionem, prouocare, responderunt.

Restitutionem etiam bonorum Ecclesiasticorum interea Cæsar, edito mandato & nominatis ad eam rem Commissarijs vrget, & S. Rom. Imperij Electoribus, Principibus & Statibus transmittit, vbiuis etiam locorum Curijs ciuitatum affigi mandat: pœna banni, & executionis confestim suscipiende, in transgressores statuta.

Stralesundani interim certis conditionibus cum Sueco transegerunt, cuius fœderis talia capita feriuntur.

*Fœdus inter
Regem Suecicū
& Strale
fundam
urbem qui
bus condi
tionibus
initum.*

1. Fœdus inter Regem Suecicū & Stralesundam urbem contractum ad annos viginti continuaretur. 2. In defensionem vrbis & portus ipsius atque consequenter in Balthici maris tutationem, non vero ad vllius, nisi bellum, quod inde forte exortum fuerit, id efflagitet, præterea etiam ad liberi commerciorum vsus conservationem, fœdus hoc sancitum esset. 3. Illud etiam obedientiæ & obsequio, quo Cæs. M. & Principi suo obstrictè vrbs teneretur, in eo, quod iustum & æquum sit, præstando & vicissim accipiendo, simili etiam modo Jurisdictioni & priuilegijs vrbis, q̄ tamen saluo præsentis fœ-

fœdere dictum fit, nihil detraheret. 4. Respectu confœde-
 tionis hujus, Sueciæ Rex ad corrigendum præsentem vrbis
 statum, media vt vel amicabili transactione res componatur
 vel aduersariorum conatus armorum vi retundantur, adhi-
 beret. 5. Ad sui ipsius liberationem, & belli, hinc forte o-
 riginem sumpturi, continuationem omni auxilio Sueciæ Re-
 gi vrbis adesset, neq; ab illo vllō modo deficiens cum hostibus
 pacta nisi id cum consensu Regis fiat, illo etiam in pactis com-
 prehensō, iniret. 6. Omnes aliæ, cum vrbe hac & in primis
 Hanseaticarum ciuitatum, confœderationes, his pactis nihil
 detraherēt, neq; in contrarium allegarētur: sed potius, vt re-
 liquæ Anseaticæ ciuitates illis includātur, & Regi, in sui ipsi-
 us & maris Balthici defensionem, jungantur Stralesun-
 denses operam darent: 7. Auxiliariis in vrbis defensionem
 trāsmittis copiis de convenientibus hospitijis prospicerent, &
 ad victum necessaria procurarent. 8. Perseuerantibus et-
 iamnum in obsidione hostibus, & ita necessitate maiores co-
 pias ad liberationem vrbis exigente, Stralesundenses exerci-
 tui suo, quæ ad sustentationem eius necessaria sint, pro præ-
 senti pecunia, quoad sine vrbis damno fieri posset, exhibe-
 rent. 9. Nauigijs Suecicis in portu Stralesundano, urgente
 sic necessitate, subsistentibus, nauacharijs hospitia in vrbe
 concederentur, & quibus ad victum opus haberent, præsentis
 pecunia exhiberentur. 10. Quouis casu Exercitui Suecico
 & vrbi bono, pro permeationis & receptaculi vsu, portæ vr-
 bis, quoad sine periculo fieri posset, recluderentur: 11. Vrbis
 & ciuium eius priuilegijs, Jurisdictioni, moribus longo vsu
 receptis, ac bonis Rex Sueciæ damni nihil inferret, sed in ijs-
 dem potius confirmaret atque protegeret. 12. Confirmatis
 ab antecessoribus suis acceptis Priuilegijs, grauaminibus vr-
 bis Rex Sueciæ cōsuleret. Ortę forsitan, in posterum inter Re-
 gem & urbem discrepantiæ, amicabili cōpositione tollerentur,
 aut pro re nata, vnitis Belgicarum provinciarum Ordini-
 bus

nibus & Anseaticis ciuitatibus arbitris sopirentur. 13. Reges, Principes & Reipublicæ confœderationi huic includi ambientes, vtriusque Partis consensu admitterentur.

Circa hæc tempora mediatoris partes perfungente Electore Brandenburgico, induciæ inter Polonos & Suecos in certa capita constituuntur.

Galliæ etiam Rex, à Genuatibus transitum pro comœatu militi suo aduehendo, hac conditione vt tertia eius pars pro præsentis pecunia ipsismet concederetur, peti curat. Petit is annuentes illi insuper tres nobiles Gallos in præterito bello captos liberos dimittunt. In timore alias Genuates, machinationum bellicarum à Rege Galliæ, quod tanta manu in Italiam irrupisset, & jam modo, controuersias inter Sabaudum & Mantuanum composuisse, rumor percrebuisse, contra se suscipiendarum, versati, tempestiue de necessarijs ad defensionem sibi prospiciunt.

*Articuli
pacificatio
nis inter
Gallia &
Anglia Re
ges initia.*

Durantibus aliquandiu inter Galliæ & Angliæ Reges & simultatibus & hostilibus vtrinque susceptis actionibus, res tandem compositæ, pacificatio in sequentes conditiones constituta & sub initium Maij in omnibus vtriusque Regni locis promulgata est, subsequenti tenoris; Vetus confœderatio inter vtrumque Regem de nouo cõfirmata, in posterum etiam inuiolata conseruaretur. In commerciorum vsu concernentibus, si immutandum quidpiam esset, de ijs pro æquitate cognosceretur.

2. Quæ durante bellicorum motuum tempore ab vnoquoque, aut eius subditis, facta sint, nullo modo retribuerentur.

3. Articuli, Reginae Magnæ Britanniaë matrimonium concernentes, bona fide confirmarētur & obseruarentur: in aula vero eius immutanda pedetētiā modo amicabili, prout res postulare videatur, fierent.

4. Priora fœdera inter vtrumque Regnum sancita in valore

lore

lore suo conservarentur, nec quicquam transactione hac eis detraheretur.

5. Uterque Rex invicem, tenore transactionis hujus, reconciliatus de auxilio sanguine junctis, prout necessitas efflagitet, submitiendo cogitaret, ut sic omnia inter Christianos in pacem & tranquillitatem pristinam vindicarentur, sufficientibus ad hoc instructionibus & declarationibus internuncijs suis dimissis.

6. Factam horum ratihabitionem & confirmationem internuncij extraordinarij utriusque partis quamprimum exhiberent, ordinarijs simul, qui in vnaquaque aula conservandæ & stabiliendæ amicitiae gratia subsisterent, internuncijs constitutis.

7. Multis etiam utriusque Partis navigijs in mari oberrantibus, quorum navarchis hostilibus se invicem invasionibus impetendi potestas sit qui de transactione hac certiores tam data citò fieri non possent, quæ duorum mensium à transactionis hujus tempore spacio utrinque committerentur, his pactis nihil detraherent: post effluxum vero spacium hoc ablata restituerentur.

8. Pactis his uterque Rex subscriberet, eaque Venetianorum in vtraque aula subsistentibus internuncijs tradita statuto tempore dictis Regibus exhiberentur: à die quoque factæ transactionis hujus ab hostilibus actionibus terra marique suscipiendis abstineretur & 20. Maij pacificatio promulgaretur. His peractis utriusque Regis internuncij, alter Caletum, alter Doveram advenientes, in Galliam, ille in Angliam proficiscerentur.

Consultatione interea ultro citroque habita, inter Cæsareanos & Danos, has in leges conventum fuit.

Primò quidem vera & sincera amicitia inter Cæsaream & Regiam M. M. terra marique excoleretur, ita ut omnia ea que hætenus hostili conatu quoquo modo suscepta sint, sopita & perpetuæ

Articuli
pacificatio-
nis in-
ter Cæs.

N

perpetuæ



Regem
Danicini
20.

perpetuæ oblivioni tradita manerent : contra verò inter M.
M : suas earundemq; successores & subditos constans ac sem-
piterna pax & concordia sancirentur & conseruarentur, &
quidem pro maiori huius confirmatione Reg. M. rerum in
Imperio Romano agendarum non aliter, quam quatenus D.
Holfatię, curam haberet; præterea etiam Archiepiscopatum
& Episcopatum possessione, vna cum Filijs suis omnino se
abdicaret, in Cæs. Maiest. insuper Imperij administratione ni-
hil corrigeret: Vicissim quoque Cæs. M. res in regno Danico
gerendas non curaret, neq; in regia gubernatione quicquam
corrigeret. Et si futuro tempore inter Cæsarem & Regem di-
screpantia quædam exoritura sit, amicabili transactione aut
adhibitis arbitris componeretur.

2. Refusionis sumptuum bellicorum neq; à Rege in Cæs.
M. & Imperij Romani Status, neque vicissim à Cæs. M. in Re-
gem aut eius subditos petitio vlla institueretur, hac tamen
lege vt omnes iusto modo à tempore belli huius in Inferioris
Saxonix Circulo factæ prætensiones, de quibus in hac trans-
actione statutum nihil esset expresse reseruarentur, insuper &
Regi occupatæ Provinciæ, Ducatus & ditiones Wenslia ni-
mirum, Juttia, Slesvicum, Holfatia, Stormaria, Ditmarsia
cum omnibus in iis comprehensis arcibus, præfecturis, pro-
pugnaculis, ciuitatibus, transitibus, portibus, oppidis, pagis,
cum omnibus ad ea pertinentibus, eo, quo antea à Rege pos-
sessa essent, modo, excepto tamen debito Cæs. M. in Holfat-
iam, Stormariam & Ditmarsiam feudi iure, cum residuis ad-
huc tormentis absq; damno restituerentur, miles itidem abs-
que vllis exactionibus, aut pressuris, bono ordine abducere-
tur, confiscationis in Ducatu Holfatię processus absq; vlla vl-
teriori prætensione abolerentur, ibique loci secundum Reli-
gionis & profanam pacem, nemine turbato, omnia conserua-
rentur.

3. Huic pacificationi à parte Cæs. M. Hispanorum & Po-
lonorum

lonorum Reges, Infans cum tota domo Austriaca, tum Bavarix Elector cum omnibus partibus ipsius fontibus Electoribus, Principibus & Statibus Imperii Rom. eorundemq; subditis: à parte vero Regis Daniæ, Galliæ, Magnæ Britannix, & Sueciæ Reges, cum vnitis Belgii Ordinibus, si modo non aduersati fuerint, includerentur.

4. Licet à Rege Daniæ indefinenter & modis omnibus, ut transactioni huic expresse infereretur, Principes & Status imperii contra ius & æquum non grauari, expetitum sit. At verò cum satis superq; commonstratum fuerit, eam Cæsari, ut quispiam contra ius & æquum grauaretur, voluntatem non esse, Rex in hoc acquiesceret, Domui Slesvicensi etiam Holsatiæ Gottorpianæ partis Insulas Femeram, Nordstrand / partem etiam iure hæreditario acceptam in Insulis Vôrda & Sûlda (saluo tamen interim Reg. M. & Regni Daniæ feudi in prædictas illas regiones iure) cum residuis adhuc tormētis bellicis, absq; vlllo incolis illato damno confestim cederet, militem quoque in Insulis subsistentem bono ordine abduceret, & in posterum contra hunc vel illum statum Imperij ob ea, quæ durante bello hoc commissa essent, nihil moliretur.

Omnes hætenus enumerati articuli S. Cæs. & Reg. M. M. quamprimum exhiberentur, & opera daretur, quo vtriusque Partis, quibus capita hæc de verbo ad verbum insinuantur, & in quibus pro vtriusque Partis hæredibus & Successoribus Cæs. & Reg. fide, contenta omnia facta tecta conseruare, neq; vlllo modo vel directè vel indirectè illis contrafacere, vel alijs contrafaciendi, sub quocunq; etiam prætextu id fieri posset, occasionem præbere velle, promitteretur, ratificationes sigillis Cæsareis & Regiis, Regniq; Daniæ Consiliariorum subscriptionibus & signis confirmatæ primo quoq; tempore transmitterentur.

Hisce articulis Lubecæ promulgatis, & confirmatione Cæsarea, Regiaq; accedente, miles Cæsareus è Regijs ditio-
nibus est abductus.

N 2 Mag.

Magde-
burgen-
ses turba.

Magdeburgi etiam interim turbæ datæ. Dederant jam aliquoties Magdeburgenses Cæsareanis ingentem pecuniæ vim, quod cum iterata vice ab illis peteretur, & vero ciues petitis satisfacere renuerent, Croatę in finitimis locis subsistētes sub Imperio Beckeri pro extorquenda ista pecunia transitus vrbis obsident, & currus aliquot, non obstante, quod ipsius Beckeri saluo conductu instructi essent, diripiunt. Dehinc tandem ciues exacerbati, fidelibus senatus dehortationibus nihil commoti, circa finem Maij primum eruptione facta, aliquot frumento & farina, quæ Duci Fridlandio aduehenda fuissent, onustas naues, interceptas vrbi inferunt.

Deinde in Suburbium & Cracouiam erumpentes, Cæsarianos, obuios quosque contrucidando, inde profligant. Paulò post excursionem iterum instituta, Cæsareos hinc inde in præfidijs collocatos in fugam vertunt. Velitari etiam pugna, varijs hinc atque hinc iacturis & datis & acceptis, cum Croatis depugnantes, stationem eorum Cracouiam victores occupant. Et cum constituta circum urbem in hortis & alibi ædificia ad infestandam eam Cæsareis inferuire animaduertent, igne ea subuertunt & solo æquant.

Turbis istis quotidie maius incrementum capientib. Beckerus tres equitum turmas, ducentosq; sclopetarios adiunctis agriculturalium centenis aliquot pago Cracouix non longè ab vrbe dissito, munitiones ibi excitatum immittit. At hoc oppidanis maturè admodum suboluit, qui circa vesperam eius diei facta eruptione fortissima, inceptas munitiones tribus in locis magno feruore oppugnantes Cæsareos, licet magno animo reluctantes, cæsis octoginta circiter, eiiciunt, pagumque iniecto igne, quo non pauci etiam, qui se in cellis & alibi in latebris occultauerant cõsumpti sunt, in cineres redigunt. A parte quidem Magdeburgensium Dux quidam Bellicæ rei eximiè gnarus cum alijs aliquot, inter quos ciues sex, qui absque imperio excurrētes, moras neſtendo à Croatis inopinanter circumdati, numerabantur, neci dati sunt. Cir-

Circa id tempus Heinius cum ingenti classe sub finem mensis Maii portu soluens, Dunkerkam versus Hispanorum ex vrbe illa excursions prohibito proficiscetur, circa finem Junii praelium acre cum tribus Ostendano praesidiariis nauibus exoritur, quo vix inito globo tormentario transverberatus Heinius hinc inopinatam mortem oppetit. Hollandi verò necem eius vindicaturi, pugnae tanto feruore insistent, ut victi tandem Ostendani in manus eorum, trucidato tamen prius alio aliquo Hollandico, cui Blumio nomen erat, nauarcho, rei militaris non mediocriter gnaro, se condonare cogerebantur.

Effluxo interim constitutarum inter Polonos & Suecos induciarum termino, cum nihil durantibus illis de pace ineunda actum fuisset, tubarum lituorumque clangore Mars truculentus partes belligerantes iterum ad arma concitat. Certior ergò Arnhemius per interceptas literas redditus, Suecum militem suum & tormenta à Mariæverda abducentem, cum suis & Polonicis copijs ei in occursum tendit atque acri praelio cum eo victor decertat.

*Sueci à
Polonis &
Caesaris
casti.*

Supra modum Suecus in hoc conflictu periclitatus est; primo quidem duobus, à quibus comprehensus erat per quinque Suecicos trucidatis: deinde balteo, quo itidem apprehensus fuerat super caput abiecto: tum quaesitus quisnam esset? se Comitum Rhenani ministrum esse responso dato: tandem equo suo transverberato, alio, pro quo postmodo exhibenti illum 700. Ioachimici numerati sunt, subducto incolumis evasit.

Intercepta vexilla equestris Poloniae Regi, quod sub Imperio eius militaret, Arnhemius exhiberi curavit.

Damnum ad Mariæwerderam acceptum Sueci interim vindicaturi prope Dirsaviam Mozarscij milites nihil tale expectantes invadunt, ijsque maximam partem occisis & Mozarscio ipso cum triginta plus minus alijs vix ac ne vix quidem

*Poloni à
Suecis casti*



fuga elapsis, quatuor vexilla equestria quinq; pedestria quam plurimos captiuos aliaque opima spolia Dirfaviæ victores inferunt.

Mogunti-
23: obitu.

Dies 6. Jul. stt. N. Reverendiss. atque Illustriss. Dn. Georgio Friderico laudatiss. mem. Archiepiscopo & Principi Electori Moguntino fatalis fuit; eo enim die meliorem vitam ingressurus, postquam aliquandiu vi morbi lecto affixus teneretur, inter mortales esse desivit, & pijsimè mortuus est. Exequiæ postmodum (6.) (16.) eiusdem mensis die præsentibus Clero, civibus alijsque magni nominis, viris tum temporis eò profectis, multorum cum luctu, magnificè & consuetis adbibitis ceremonijs celebratæ fuerunt, cuius anima in sancta pace requiescat.

6. vero Aug. die nova Archiepiscopi & Electoris Moguntinensis electio instituta, & vnanimi reverendiss. Capituli consensu reverendiss. & Prænobilis Dominus Anshelmus Casimirus Wamboldus ab Umbstat Ecclesiæ Metropolitanae Moguntinæ Scholasticus & Capituli Halberstadiensis Præpositus: Sanctæ Sedis Moguntinæ Archiepiscopus, & S. Rom. Imp. Archicancellarius Princepsque Elector, &c. omnium votis desideratus & gaudio susceptus, sacro & solemni ritu, declaratus est.

Tempesta-
tes horrē-
da passim
mense Iu-
lio desæ-
viunt.

Horrendæ Tempestates per Julium maximè desævientes hâc æstate non parum damni fructibus & imprimis vitibus importabant. In tractu qdem Rhenano grâdine ad ovi ferè magnitudinem depluente uvæ mirum in modum perditæ sunt. Ad Suevorum trajectum 14 Julij pagus quidam fulmine tactus totus penè incomparabili incolarum damno conflavit.

17. 27. Julij die tempestas Herbipoli exorta horrēdum ad eò sæviijt, ut urbis interitum adesse nemini non crederetur, dum tanta aquarum vis pluviarum vehementiâ è propè adjacentibus vrbi montibus deferebatur, vt abreptis horreis, do-
mibus,



mibus cum omnibus in ijs contentis damnum inde ad incolas maximum redundaret, in vrbe etiam in 4. 5. & 6. pedum altitudinem, ita vt navigari in plateis posset, aqua excreceret. Hæc inundatio quoque hortis, quorum muros etiam dejecit, & vineis supra modum nocuit.

Sub initium mensis Augusti Commissarij Cæsarei cum se-
 lectorum agriculturalium Episcopi copijs Augustam Vindelico-
 rum aduenientes, Ministerio templorumque Præfectis, exhi-
 bito de restituendis bonis Ecclesiasticis mandato Cæsario
 templa eorum occludunt, Pastoribus etiam ab Augustanæ
 Confessionis exercitijs, vt omnino desisterent inter illos ij,
 qui ciuitatis jure gauderent in vrbe manerent, reliqui verò,
 quorum tres erant, alio se conferrent, præcipiunt. Dum hæc
 fiunt ciuibus, vt in ædibus suis se continerent, suaq; quilibet
 administrarent, indicitur. Paulo post Cæsareum mandatum
 promulgatur, tali quidem sensu. Postquam Cæs. M. vt Augu-
 stanæ Confessionis exercitia in vrbe hac abolerentur, visum
 fuisset, homines autem inquieti inuenirentur, qui decretis e-
 jusmodi resistentes Cæs. Majestatem, Commissarios, Episco-
 pum, Magistratum etiam, Clerum calumniosè addita de ra-
 pinis incendijs alijsq; hostilibus machinationibus intentan-
 dis comminatione, traducerent, omnibus sub capitali suppli-
 cio, vt ab eiusmodi traductionibus & comminationibus desi-
 sterent, serio mandatum velle. Discedentibus pastoribus Ju-
 risdictionem Ecclesiasticam, non violata Religionis pacifica-
 tione, valore constitutæ Anno 1584. Cardinalis Ottonis Epi-
 scopi quondam Augustani transactionis, moderno Episcopo
 de jure committendam esse denunciatur. Hæc ingens ciuium
 mæror subsequabatur, multis de bonis suis diuendendis & a-
 lio se conferendis consilium incuntibus.

Hinc Senatus omnibus incolis, neminem ad Catholi-
 cam Religionem amplectendam coactum iri, neque id Epi-
 scopi

Reformatio
 Augustanæ
 Vindelico-
 licorum
 instituitur.

scopi propositum esse: clam ergò inde bona sua dimittentes, non solum amisso ciuitatis iure, sed bonis etiam fisco adjudicatis punitum iri: legitimo autem modo ciuitatis iure renunciato, trium annorum censu exsoluto, & decima bonorum parte relicta, emigrare volentibus liberum abitum concessum iri, publico scripto significat.

Obsidio
urbis Syl-
ua ducis
& deditio

Memoranda hac æstate maxime fuit obsidio munitissimæ urbis Syluæ Ducis, quæ ab Hollandis, siue vnitarū Provincia- rum Belgicarum ordinibus instituta, & felicem adeptæ successum, maximum Hispanis terrorem iniecit. Et quidem summo silentio & astu Princeps cum omni exercitu ad diem April. 30. circa 3. pomeridianam adueniens, in pago Uucht statiuua sua cum 134. cohortibus collocat, collocatis in statiuuis Comite Ernesto Casimiro Hintemio cum cohortib. 50. Wilhelmo Nassouio Orthemio cum cohortibus 32. & Barone de Brederode è regione Petlerianæ munitionis cum cohortibus 26. & Pinfio cum quinque armatorum millibus Hispanorum incursum attendere iussu.

Hinc crebræ obsessorum eruptiones, pugnae velitariae, & tormentorum ictus, in urbem ejaculati, in primis verò latum lorica & propugnaculum à campo Uuchtano erectum, quo castra custodiretur, Adæ etiam fluuius objecto aggere à consueto cursu auersus, certas in fossas deductus, & munitiones indies magis, magisque indefesso opere, & incredibili labore firmatae. Tum tormenta majora in urbem explosa, non leui damno oppidanos infestabant. Interim Hispani quoque urbis defensionem accurrentes, summa vi exercitum colligunt, sub Henrici Comitis à Berg subsidijs. Defectu vero pecuniæ stipendiorum exsolutione retardata, conatus ille irritus plane, & inanis fuit, cum maximè castra adeo robustissimis munitionibus præclusa & roborata essent, vt Hispanis omnis & adgrediundi, occupandive spes præcideretur.

Non

Non minori interim industria Hollandi rem gerebant, eo-
que perducebant, ut hæc obsidio cædibus, & quamplurimum
fortissimorum virorum interitu ad finem usq; mensis Augu-
sti continuaretur. Quo illucescente cuniculus nullo prope
portam Vuchtensem effossus, maxima vi irrupit, & ingentem
eius partem, ponte etiam disrupto, disiecit. Quo facto tre-
centi ex Hollandis in illud conscendentes, tantum civibus
terrorem incusserunt, vt colloquio cum Principe Auraco
habito, & supplices ei facti, urbem tolerabilibus conditioni-
bus in Ordinum potestatem traderent.

Ordines interim Belgici Uniti, magnam apparatus bellici
& pretiosarum rerum copiam Vesaliae contineri, de urbe illa
intercipienda consilium inierunt: & nonnullis negotium
dant, ut urbem istam intercipere conarentur: qui assumptis
aliquot equitum, peditumque turbis, comitatum quendam
Vesalia ad Hispanica castra contendentes, attendere sese si-
mulantes, rebus suis intenti 19. Augusti die summo diluculo
inter tertiam & quartam horam ad Vesaliam summo silentio
advenientes, quosdam qui propugnaculum quoddam, cui
nondum vltima manus imposita erat, superarent, mittunt.
Succedit hoc ex voto: illi enim occisis excubitoribus portam
referantes plures intromittunt, qui statim Gubernatoris æ-
des perentes excubitoribus ibi etiam neci datis ex illo claves
urbis extorquent & captum custodientes, per aliam portam
referatam reliquas copias urbi introducunt. Cæterum occu-
patis plateis in forum contendunt & excubantem ibi ad mul-
tos currus commeatu & apparatu bellico onustos cataphra-
torum equitum cohortem, quod armis rem gerere molire-
tur, interneccione ferè delent.

Hinc reliquiis Hispanorum eiectis urbem potestatis suæ
faciunt. Ajunt Hispanorum 90. Hollandorum vero decem
occisos esse.

Embricenses & Resenses de successu hoc edocti auxilia pro
majo-

Vesaliae
Hollandis
occupatae.

majori præsidio urbem contra Hispanorum insultus præmun-
nitum quamprimum submitunt. Nemo quidem civium di-
reptionem passus est: tabernæ autem Brabantinorum mili-
tum libidini concessæ sunt, uno quoq; militum duo fere flore-
norum millia accipiente. Multum aliàs, q̄ ad stipendia Hi-
spano militi exsoluenda destinatum erat, pecuniæ, ingens
commeatus armorum & apparatus bellici copia cum tor-
mentis septuaginta ibi inuenta sunt.

Spinola interim ex Hispania redux, in Italiam sub hæc tem-
pora rediit.

Ex aduerso Mantuanus Dux magna militum vi collecta,
omnia ad sese defendendum præparat, urbem Mantuam mu-
nitionibus fortissimis extructis, munit & corroborat summa-
que vim Cæsareanorum adventum præpedire conatur.

*Induciæ
Suecia.*

Induciæ cum Polonis & Suecis hoc tempore conclusæ &
peruulgatæ sunt, in sexennium nempe, eæ vt perdurent,
Dantiscanis exclusis: qui, opportunitate neglecta, sibiipsis
defuerunt.

Galliarum Rex magno militum numero coacto, auxiliares
copias Mantuano Duci submittit.

Stargardia Pomeraniæ urbs, Octobri mense in Cæsarea-
norum potestatem venit, civibus armis ademptis, & in Curi-
am translatis.

Magdeburgo vero urbi, tumultu sedato, & eruptionibus
& ~~eruptionibus~~ repressis, tandem pax reddita, interuentu
Anseaticarum urbium Legatorum, & Cæsareanorum copiæ
aliò deductæ.

Veneti, hoc tempore magnas etiam copias conscribunt,
12000. armatorum millibus in Dalmatia, & 3000. equitibus
collectis, easq; in Terram firniam ablegant, in Lombardiam
transituras, & Germanicas copias transitu in Italiam prohi-
bituras.

Magnæ inundationes, mense Octobri, Pragam, Bohemiæ
metro-

metropolin grauitè afflixere, & damnum grauissimum intulere.

In alia orbis parte, Daniæ nimirum regno, exeunte mense Septemb. arx Cronenburgum, incendio periit, hominibus etiam aliquot vna absumptis.

Verdæ interim & Mindæ reformatio instituta & Catholica Religio introducta: prout etiam Osnabruggi factum.

Ex Velauia copiæ Cæsareæ & Hispaniæ abeuntes, in Episcopatum Monasteriensem aduenere, ibique statim collocare: Cæsareani vero, in primis Germani in Italiam aduenere, Mantuam obsessuri: quæ obsidio hoc tempore continuata, multos obsidentes absumpsit, Galliarum vero Rex, urbi & Duci Mantuano suppetias laturus maximis copiis contractis aduolauit, obsidentes ab obsessis fortissime aliquoties repulsi, tormentorum etiam ictibus & inundationibus siue fossarum quarundam cataractis rescissis, infestati, damno grauissimo affecti fuere.

Obiit hoc anno Transyluanix Dux, Bethlen Gabor, qui Palatino addictus, grauissima aliquando Cæs. Majest. damna intulit.

Transyl-
vania D.
cis obitus.

Pariter etiam Dominus à Reiffenberg, summus urbis Viennensis præfectus.

ANNVS CHRISTI, 1630.

Novi anni Auspicia ex benignissima S. Cæs. Majest. erga afflictam patriam nostram affectione sumemus, ex qua S. Imperii Electoribus Conuentum ad pacem reducendam Ratisponæ celebrandum indici, constituit, quod vt optatum fortiatum effectum, Deum ter Opt. Max. ardentibus votis exorandus est.)

Conuentus procerum Silesiæ indictus: hoc tempore celebratur.

Halberstadii etiam exercitium Catholicæ Religionis in-

O

2

tro-

troductum, & summum Episcopale templum Catholicæ Romanæ Religionis addictis Canonicis traditum, restitutumq; est, quod & in tribus Collegiatis Ecclesiis aliis B. nimirum Virginis, S. Pauli, S. Bonifacii, & Mauricii factum est.

Mantux interim obsidio, mense Januario, penitus sublata est, Cæsareanis maxima ex parte alia in loca divertentibus.

Ex alia orbis regione bellum maxima præparatione in Galliarum regno instruebatur, & copiæ magnæ tam pedestres, quam equestres in Italiam transportabantur, sub regimine & ducatu Cardinalis Richlieu, aliorumque belli ducum.

Prodigium etiam mense Februario, hujusce anni, in cœlo Lignitij visum, Apparuerunt enim effigies ædium quarundam, ex oriente, meridiem versus, è quibus magnæ & tremendi radii instar laquearium, aut trabium, igniti prorsus, egressi post quos candidi acuminati trabes effulminati, totas ædes absumpsere, per integram etiam horam aquilæ effigies, & exercituum duorum inter se, magno ardore inter se dimicantium, in cœlo visæ sunt.

Obijt etiam circa hæc tempora P. Hiacynthus, Carmelitanus, in ipsa S. Cæs. Majest. Regia arce, Viennæ.

F I N I S.








D O
I

Initia



ri foede
rector
18. Ma
Conf
ex Illu
rijs, &
Ecc
ciunt,
bant.



ORVM
BO-
MA-

R I S.

anno 1617. vsque
enumerans.

ac progressum Belli
nici, ab anno 1617.
tempus anni 1630.
rdiemur ab Vnionis
ijs.

, qui Orthodoxo-
endicāt, aliqui Ha-
& contracto arctio-
& Capite illius, Di-
Electore, ad diem
stituerunt : in quo
est, quo sub Præsede
certisque consilia-
ium agitaretur.

foedus inter se san-
atholicam, appella-
A 2 Diuo

*Vnionis
Hallenfis
principia.*

*Catholico
rum Vnio
sive Liga.*

